

103 Lectio spiritualis obligatoria cotidie signanda.

SANCTI PATRES LATINI (thanks to Google)

Ex.mo ac Rev.mo D.no
Doctori

Raphaeli Romo Muñoz

Primo Archiepiscopo Metropolitano
Provinciae Ecclesiasticae Tiguianaensi
D.D.D.

RR. Oec. G.
SANCTI EUSEBII

HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI
OPERA OMNIA

EX MIGNE, PATROLOGIA
LATINA

SYNOPSIS DIVINAE

BIBLIOTHECAE

EX EPISTOLA HIERONYMI PAULINO
DESUMPTA.

[141] Videlicet manifestissima est GENESIS, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione, terrae, de confusione linguarum et gentium, usque ad exitum scribitur Hebraeorum.

[143] Patet EXODUS cum decem plagis, cum decalogo, cum mysticis divinisque praeceptis.

In promptu est LEVITICUS liber, in quo singula sacrificia, immo singulae pene syllabae, et vestes Aaron, et totus ordo Leviticus spirant caelestia sacramenta.

NUMERI vero, nonne totius arithmeticae, et prophetiae Balaam, et quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent?

DEUTERONOMIUM quoque secunda lex et Evangelicae legis praefiguratio, nonne sic ea habet quae priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus. Hucusque Moyses, hucusque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur.

JOB exemplar patientiae, quae non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur, omnesque leges Dialecticae, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba plena sunt sensibus. Et (ut de caeteris sileam) resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit: Scio, inquit, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspiciuntur sunt, et non alius. Reposita est haec spes mea in sinu meo.

Veniam ad JESUM NAVE, qui typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine praefert: transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes,

atque confinia, Ecclesiae coelestisque Jerusalem spiritualia regna describit.

In JUDICUM libro, quot principes populi, tot figurae sunt.

RUTH Moabitibus, Isaiae explet vaticinium dicentis: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae, de petra deserti, ad montem filiae Sion.*

SAMUEL in Heli mortuo et in occiso Saul veterem legem abolitam monstrat. Porro in Sadoc atque David novi sacerdotii novique imperii sacramenta testatur.

MALACHIM, id est, tertius et quartus Regum liber, a Salomone usque ad Jechoniam et a Jeroboam filio Nabat usque ad Osee qui ductus et in Assyrios, regnum Juda et regnum descriptum Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt; si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiae paucitas et haereticorum contra Ecclesiam bella narrantur.

Duodecim Prophetarum in unius voluminis angustias coarctati, multo aliud quam sonet in littera, praefigurant.

OSEE crebro nominat Ephraim, Samariam, Joseph, Jezrael, et uxorem fornicariam, et fornicationis filios, et adulteram cubiculo clausam mariti, multo tempore sedere viduam, et sub veste lugubri viri ad se reditum praestolari.

JOEL filius Phatuel describit terram duodecim tribuum, eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam; et post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei et ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, et effusum iri in coenaculo Sion. Qui centum viginti ab uno usque ad quindecim paulatim et per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in psalterio mystice continentur.

AMOS pastor et rusticus et ruborum mora distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria aut quatuor scelera Damasci, et Gazae, et Tyri, et Idumaeae, et filiorum Ammon et Moab, et in septimo et octavo gradu Judae et Israel? Hic loquitur ad vaccas pingues, quae sunt in Samariae monte, et ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustae et stantem Dominum super murum litum vel adamantinum et uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus et famem in terram: non famem panis, nec sitim aquae, sed audiendi verbum Dei.

ABDIAS, qui interpretatur Servus Dei, peronat contra Edom sanguineum terrenumque hominem; frater quoque Jacob semper aemulum hasta percudit spiritali.

JONAS, columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini praefigurans, mundum ad poenitentiam revocat, et sub nomine Ninive gentibus salutem nuntiat.

MICHAELAS, de Morasthi, cohaeres Christi, vastationem annuntiat filiae latronis, et obsidionem ponit contra eam: quia maxillam percusserit iudicis Israel.

NAHUM, consolator orbis, increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur: *Ecce super*

montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem.

HABACUC, luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam et figit gradum super munitionem, ut Christum in cruce contempletur, et dicat: *Operuit coelos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut luxerit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.*

SOPHONIAS, speculator et arcanorum Dei cognitor, audit clamorem a porta Piscium et ejulatum a Secunda, et contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilae, quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento.

AGGAEUS, festivus et laetus, qui seminavit in lacrymis ut in gaudio meteret, destructum templum aedificat, Deumque Patrem inducit loquentem: *Adhuc unum modicum, et ego commovebo coelum et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus.*

ZACHARIAS memor Domini sui, multiplex in propheta, Jesum vestibus sordidis indutum et lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit et a dextris: ut post equos nigros, rufos, albos, et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Jerusalem, pauperem regem vaticinetur et praedicet, sedentem super pullum, filium asinae subjugalis.

MALACHIAS aperte, et in fine omnium prophetarum, de abiectione Israel et vocatione gentium: *Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*

ISAIAM, JEREMIAM, EZECHIELEM et DANIELEM quis potest vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium;--secundus virgam nucem et ollam succensam a facie Aquilonis, et pardum spoliatum suis coloribus et quadruplex diversis metris nectit alphabetum;--tertius principia et finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebraeos istae partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur;--quartus vero, qui et extremus inter quatuor prophetas, temporum conscius et totius mundi filistur, lapidem praecisum de monte sine manibus et regna omnia subvertentem, claro sermone pronuntiat.

[145] DAVID, Simonides noster, Pindarus, et Alcaeus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Christum lyra personat, et in decachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem.

SALOMON, pacificus et amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit et Christum, sanctorumque nuptiarum dulce canit epithalamium.

ESTHER, in Ecclesiae typo, populum liberat de periculo: et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivi et diem celebrem mittit in posteros.

PARALIPOMENON liber, id est, instrumenti veteris epitomae, tantus,

talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina juncturasque verborum et praetermissae in Regum libris tanguntur historiae, et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones.

ESDRAS et NEHEMIAS, adjutor videlicet, et consolator a Domino, in unum volumen coarctantur, instaurant templum, muros extruunt civitatis; omnisque illa turba populi redeuntis in patriam et descriptio sacerdotum, Levitarum, Israelis proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice praeferunt, aliud retinent in medulla. Cernis me Scripturam amore raptum, excessisse modum epistolae, et tamen non implesse quod volui. Audivimus tantum quid nosse quid cupere debeamus, ut et nos quoque possimus dicere: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Caeterum illud Socraticum impletur in nobis, Hoc tantum scio, quod nescio.

Tangam et novum breviter Testamentum.

MATTHAEUS, MARCUS, LUCAS et JOANNES, quadriga Domini et verum Cherubim, quod interpretatur scientiae multitudo, per totum corpus osculati sunt, scintillae emicant, discurrent fulgura, pedes habent rectos, et in sublime tendentes, terga pennata et ubique volitantia, tenent se mutuo sibi quae perplexi sunt, et quasi rota in rota volvuntur, et pergunt quocumque eos flatus Spiritus sancti perduxerit.

PAULUS Apostolus ad septem scribit Ecclesias: octava enim, ad HEBRAEOS, a plerisque extra numerum ponitur. TIMOTHEUM instruit ac TITUM, et PHILEMONEM pro fugitivo famulo deprecatur. Super quo melius tacere puto quam pauca scribere.

ACTUS APOSTOLORUM nudam quidem sonare videntur historiam et nascentis Ecclesiae infantiam texere; sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cuius laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius animae languentis esse medicinam.

JACOBUS, PETRUS, JOANNES, JUDAS, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas quam succinctas, et breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in sententiis: ut rarus sit, qui non in earum lectione caecutiatur.

APOCALYPSIS JOANNIS tot habet sacramenta quot verba. Parum dixi et pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiae. Oro te, frater charissime, inter haec vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quaerere. Nonne tibi videtur jam hic in terris regni coelestis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate, et quasi vilitate verborum, quae vel vitio interpretum, vel de industria, sic prolata sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent, et in una eademque sententia aliter doctus, aliter audiret inductus. Non sum tam petulans et hebes, ut haec me nosse polliceat et eorum fructus capere quorum radices in coelo fixae sunt; sed velle fateor. Sediti me praefero: magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti datur, pulsanti aperitur, quaerens invenit. Discamus in terris quorum scientia nobis perseveret in

coelo. Obviis te manibus excipiam, et (ut inepte aliquid ac de Hermagorae tumiditate effutiam) quidquid quaesieris, tecum scire conabor. Habes hic amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum saeculi, fidem amicitiae, amorem Christi. Nam prudentiam et eloquii venustatem etiam absque illo ipsa epistola praeferebat. Festina, quaeso te, et haerentis in salo naviculae funem magis praecide quam solve. Nemo renuntiaturus saeculo bene potest vendere quae contempsit ut venderet. Quidquid in sumptis de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum est, Avaro tam deest quod habet quam quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est: infidelis autem etiam obolo indiget. Sic vivamus, tamquam nihil habentes, et omnia possidentes. Victus et vestitus divitiae Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende; si non habes, projice. Tollenti tunicam, et pallium relinquendum est. Scilicet nisi tu, semper recrastinans, et diem de die trahens, caute et pedetentim tuas possessiunculas vendideris, non habet Christus unde alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli navem tantum et retia reliquerunt. Vidua duo aera misit in gazophylacium, et praefertur Croesi divitiis. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

AN.MANL.SEV.BOETII DE DISCIPLINA SCHOLARIUM.

PROOEMIUM.

Vestra novit intentio de Scholarium Disciplina compendiosum postulare tractatum, utinam a spiritibus mei parvitate, prout facultas suppetit, ingenique declivitas, aerumnarumque tenacitas, amicis vestris, o Martiane, petitionibus tentabo acquiescere.

Et licet duplici genere commentorum sim impeditus, non tamen omnino diversorum, in quasdam Aristotelis [1224D] necnon aliorum philosophorum editiones, proprioque attenuatus studio, et inhumani regis Gothorum cruciata corrosus, philosophico me praeveniente consolatu, extremaque profundae Trinitatis perspicatione permollitus.

Quid enim gymnasiorum exercitu lucidius quam in artificiali et naturali progressionem debita cognitio, et quam virium intelligentiae gradualis exhibitio! Eloquentiae enim partes decenti artificialium [1225A] et naturalium processu, et perspicua intelligentiae comprehensione novimus stabiliri.

Imprimis ergo prima scilicet puerorum oblectamenta sunt praelibanda.

Secundo videlicet qualiter adultorum elatio magistratui subjienda sit, et disciplinae connectenda.

Tertio de eorum elatione reprimenda, exemplorum commendatione distincte exponendo.

Quarto de scholarium sagaci provisione eorumque gradualis statione.

Quinto qualiter scholarium venerabilis ac sincera devotio ad magisterium proferenda sit.

Sexto de magistratum norma trinaque divisione statuque erga subditos modoque docendi praecognito.

Haec autem ad intelligentiae cognitionem suscepimus peragenda, pristinum modum tractandi fere omittentes, nunquam leviori stylo perusi, quoniam in majori parte pro rudibus informandis est executio, et tanto levior dilucidandi debet esse translatio.

CAPUT PRIMUM.

Cum autem indiscrete impotens septennis infantia [1225B] ducitur ad imbuendum, cavendum est ne membrorum indecens sit dispositio, ut pote integralium, et aeris intemperies, ut pote constringentis hiemis obtusitas, et comburentis aestatis profunditas periculi generet incrementum.

Legitur enim Timothei filium lepra incumbente, castratum, loripedem, gibbo tumentem, doctrinae mancipatum, plebeiam existisse abjectionem suorumque sociorum detractationem ridiculosam.

Similiter praetoris suburbani filium canicula instigante litteris vidimus mancipatum, cum autem solita non gauderet umbra, propria virtute destitutus, ictericiae poena permollitus, vitalibus tandem spiritibus attenuatus, lymphatico morbo occubuit.

Ecce quantum difficultatis membrorum indecens indispositio, et aeris intemperies teneritati puerili contulerunt.

Cibarium autem mediocris sit facultas;

Potus autem sit tenuis ejusdemque parcatas;

Vestium autem similiter absit penuria.

[1225C] Imprimis igitur figurarum elementa repraesentantium imprimenda est dilectio, conjungendarumque litterarum non parum artificiosa conjunctio.

Nec tali laborioso certamini multum est insistendum, nec cito ut Servio placet abeundum, quoniam si visus est in multis promptior, in aliis reperitur tunc et habilior.

Secundum laboriosi certaminis stat aedificium, in Probi Didimique traditionibus, necnon aliorum philosophorum quos venerabilis commendat auctoritas.

Animadvertendum est autem in hujusmodi ut fideli resolutioni subiaceat lata traditio, et a discentis idioma verbo tenus explicatum sit, fundamenti enim tenacitatem in his oportet consistere.

Nec menstuoso saltu Phoebes abeundum est, nec solari cursu tantum confirmandum, sed expleto Mercurii intervallo, eodemque fere duplicato diligenter immorandum.

Diligentiam enim cujuslibet operis obtusitas permollitur.

Senecae traditio, inexpleritio Lucani, Virgilii prolixitas, et Statii urbanitas, dura Flacci translatio, durior Persii editio, Martiani non indigna laesio, Nasonis [1225D] discretio, sunt indaganda memorialique cellulae commendanda.

Caeterorumque philosophorum (prout ingenii suppetit capacitas) non sub silentio est praetereunda moralitas, ut sic sententiosa dictaminis vigeat serenitas, et metrorum floreat jucunditas.

O quam Tullii venerabilis facundia summis desideris est collocanda.

Cavendum autem in hujusmodi ne contingat ut lotario contingebat, ipse enim triginta annis ignorantiam suam praedictorum philosophorum in gymnasiis tradidit imbuendam.

Cum vero dies ut praeesset mediocribus advenisset, cujus uxor es et Aeneas dubitasse se diutius asserebat, quem in hemistichiorum Virgiliis serenitate invenisset.

Requisitusque a quodam suorum discipulorum qualiter primam hujus dictionis syllabam magister vertere versu posset, respondit absurdum esse tanti nominis primam syllabam abbreviari, sed potius acuto accentu pronuntiari.

Ecce quantum durae cervicis obtusitas [1226A] perdidit temporis et expensae.

Completo autem non indebite hujusmodi gymnasiis rudimento, ad majoris inquisitionis scientiae limina procedendum est.

Scientiae, inquam, quam veri falsique novimus indagatricem, solamque scientiam scientiarum titulo subtilitatis obstipantem subjecta.

Haec est, inquam, scholaris domina, quae penetranti vestium natura ad scientiarum quarumlibet fastigia praebet incrementa virtutum.

Quid autem lucidius cognitione quae universalium, quae est trivialium scientiarum magistra, quadrivialisque potentia, collateralium scientiarum plenitudo.

Ad hujus autem imperialis dominae apicem scandendum est hoc ordine.

Imprimis igitur terminorum intrinseca cognitio, eorumque in propositione non latens copulatio, propositionumque non indigna connexio sunt apponenda.

Terminorum autem determinationes quas syncategoremata appellamus, memorialiter menti sunt imprimendae, ut pote quae sophisticarum non parum deserviunt phantasiae.

Horum autem notitiam Trebatium virum meminimus [1226B] prudentissimum, sed in hoc imperitum, quasi indignam scientiam relatu sub silentio praeterisse.

Die autem conflictus adveniente, eundem miserime ab his sophistica vincente detentum vidimus, et indecenter a suorum collegio sequestratum.

Quid ulterius, angustia pudoris confusus, quod prius censebat indignum eloquio, postea sociatim mendicabat.

Hujus autem imperialis dominae firmis dotata ars sophistica, petulanti animo confusa, nugatoriaque loquacitatis elogio perusa, mulieris fucio vultu perfusa, barbaras nationes obliquo sidere respiciebat, quam in commentariis Alexandri et nostris novimus decoratam, et translatione perfectam summopere esse curandam.

Ad istorum et caeterorum perfectionem triplici solemus uti recordatione, quarum prima est vocalis, secunda mentalis, tertia vero communis.

Vocalis sophisticum facit, mentalis iudicium, communis si continuata fuerit facit perfectum.

Vocalis caecitatem, mentalis scientiam, communis [1226C] usum.

Usus autem ad magisterium properare festinat.

Sicut enim prudentia sine iustitia parum vel nihil prodest, iustitia autem sine prudentia multum: sic scientia sine usu prodest parum, usus autem sine scientia prodest multum.

Si vero bonae indolis scientiae tirunculus totam nequeat seriatim comprehendere orationem, saltem primam capiat pronuntiationem, donec

gradatim procedendo continuam producere possit effectum.

Visis autem levitatum scientiis, de speculatione Porphyriana quinque universalium quae ab Aristotele monstra vocantur attendendum est, ad ipsius categorias necessaria, quae luce expositionis in commentariis nostris bis patefecimus.

O quantum utilitatis habetur in his si intrinseca habeatur cognitio! Nonne litteralis Sophronici facultas est vitio notanda.

Inquam.

Nostra quoque volumina styli schemate decorata non sunt omitterenda.

Aristotelis quoque tota succincta brevitatis, li et voce tediosa, non tamen infructuosa: malui enim potius fideli deservire translationi quam arrogantiae reprehendi temeritate.

[1226D] Quid enim Aristotelis lucida veritate serenius? Nec dum haec geruntur, grammaticae fructuositas nullatenus est oblinquenda, per eam enim cujuslibet artis commendabilis redditur possessio iunctunda.

Rhetoricaeque lepos, quadrivialis quoque honor studii comparatione acquisita, pro posse non debent omitti.

In his autem studii protervitas florem generat, fructumque parturit, si dubitationi permixta fuerit et tempestiva.

CAPUT II.

Visis autem scholarium rudimentis et virtutum incrementis, nunc de eorum subiectione erga magistros breviter est ordiendum, quoniam qui se non novit subijci, non noscat se magistrari.

Miserum est enim eum fore magistrum qui nunquam se novit esse discipulum.

De et autem discipuli subjectio in tribus consistere, scilicet in attentione, benevolentia et docilitate.

[1227A] Attentus, inquam, exercitio, docilis ingenio, benevolus animo.

Attentus, inquam, ad audiendum, docilis ad intelligendum, benevolus ad retinendum.

Ista vero tria ad perfectionem concurrunt permutati.

Non sit autem scholaris dyscolus.

Dicitur enim dyscolus quasi a schola divisus.

Schola enim Graece, dicitur vacatio Latine; inde dyscolus, quasi vacatione divisus.

Dyscolus autem dicitur ille qui discurrit per vicos, et plateas, et tabernas, et meretricum cellulas, per publica spectacula, per pompas et choreas, et per comessationes, et per publicas coenas, et hoc vagis oculis, et effrena lingua, petulanti animo, vultu incomposito, omnibus his schola postponitur.

Quodam vero tempore cum causa sanitatis recuperandae, et ob aeris intemperiem, ritusque Gallorum facetos matronarumque pios affatus, nos ad Galliam transtulisset, multos dyscolos, ut meminimus, visu percepimus in civitate Julii Caesaris quae Lutetia Parisiorum dicebatur.

Multos autem artes mendicare prospeximus, nullis eis pocula philosophiae administrantibus, [1227B] flavosque Britones studii pretio Romam commeantes graviter indoluimus, quia Atheniensium scintillulis minime pascebantur.

Tandem autem Gallica lingua Graecari incoeperunt.

Quod si aliquid aliud quam tortuosa volumina Lucretii in partibus suis

invenissent, consilio nostro non tantum operis perdidissent.

Germanici furoris paucos inseximus intulit.

Magicae autem delusionis arte de Iberia multos vidimus magistrari.

De nostris autem lippientibus patet et convulsis oculis.

Sed haec hactenus de dyscolo sufficient.

Ne sit autem discipulus violentus erga magistrum.

Violentiae autem Albinus Albei filius procedat in exemplum, qui cum esset filius dilectionis, magis vero infelicitatis praecursor, magistro suo Grillo quandoque balbutienti manus iniecit sceleratas, ac canitiem ejus venerabilem foedo pedum maculavit accessu.

Quae tanti sceleris causa fuit, quia ad primam aeris impressionem totam nequivit comprehendere constitutionem.

Proh dedecus, proh fit infelicis discipuli in caput felicitatis accessus! Tam [1227C] scelerato Nero gaudeat haerere, tam coinquinato Anetus successore.

Grillus vero cum Socrate, Senecae gaudeat appetitu.

Non est ergo dignus scientia qui scientiae insurgit praecursori.

Luxuriae a fervore studeat se discipulus alienare.

Quam triplici satirici partitione dividerunt: quamdam in ornatu vestium dicentes consistere, aliam in coitu, tertiam vero gulositatis assisticem.

Cujuslibet vero rabie feculenta frequenter novimus laborare subjectos. Contumelioso coitus appetitu sanguineum Lucretii filium,

Zenonisque discipulum tota Roma flevit inviscatum, qui tamen clarissimus ortus fuit natalibus, quantitatis procerae et sanguineae qualitatis, mirae siquidem eloquentiae, perspicacis ingenii, sed quotidianis et ultra debitum nuptiis gaudebat, patre poenam deferente, patrimonium enim parentumque census illicite consumebat, cunctisque zelotypis eminebat.

Aleis autem et meretricum cellulis semper inhiabat.

Proprio autem adhuc non destitutus pruritu, [1227D] postea a parentibus ejectus, tandem ab amicis et consortibus destitutus, a creditoribus undique fatigatus, notis et ignotis furtim studuit assitere, crucis ab angustiis a patre creberime redemptus, ultimo tamen parentis pecunia redimi non potuit.

Cruci ergo adductus eundem ad se venire lacrymis compellebat, osculumque voce querula petebat.

Pietatis autem motio ad filii petitionem patrem erexit, erectique filius nasum morsu secuit acutissimo dicens: Quare a meis primis erroribus incastigatus evasi? Utquid magistri mei documentis non oboedi, sociosque meos contempsit? Filii patrem necesse est indulgere castigationi, magistrumque discipuli mores informare.

Ecce quantum detestabilis est meretricum incursum.

Est autem meretrix nonaria inferni janua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscarium scelerum, puteus interitus, et si qua est alterius luxuriae ignominia, species quaelibet alia gravior sceleris [1228A] deteriorque.

Interitus autem Hyacinthus cunctis patet et Jovinus.

Et alibi meretricis labia favum distillant, sed absinthium ejus novissima subministrant.

Comessationibus et ebrietatibus secunda species luxuriae dotata, permutatim tanquam causa ad causatum cum praedicta gaudet sustineri.

Propter coitum enim fit ebrietas relative, necnon et caeterorum vitiorum genera.

Vinum autem modice sumptum intellectui videtur conferre acumen, non autem modice sumptum rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immitit, errorem infundit, ad ignorantiam perducit.

Ubi enim ebrietas, ibi furor dominatur; ubi furor dominatur, ibi nulla sapientia, sed insipientia pervagatur.

Hujus autem rationis quotidiana patent exempla, et virtutum detrimenta.

Quae etiam pestis consorte vinoso deterior, quia si studere nequeat, caeteros gymnasiis inhiare volentes corrodit, errorem litis confovet, vel pugnis opem orat.

O qualis permixtio studentibus est cum dissoluto! Ejicit ergo ab integritate consortii tales [1228B] prudentium discretio ordine irregressibili et hoc tempore determinato.

Haec autem secunda species primae quandoque praeambula, posterioris autem pedisequa appetitiva.

O quantum erroris immitit ebrietas in mentem discipuli, nisi freno sobrietatis castigetur ad unguem! Tertia species luxuriae est concupiscentia quae ornatibus inhiat, parentumque progenie maritata consistit, quibus paupertatis tuta facultas cedit invicta.

Haec autem vestium gaudet varietate frequentiae, earumque in sigillatione membratim, pectinis beneficio caesariem polire, et calamistri tortuositate, florumque diversitate seriatim lascivere, gulamque suam fuco perfundere, novaculaeque frequenti castigationi inhiare, sinum aromatibus adimplere, gemmatis colla monilibus, Parthorumque cingulis ventrem castigatum plebi ostendere, rostratis tabulatisque calceis ut regina incedere, colloque elato, gutture inflato, supercilio mutilato, oculo impudico, fastuosoque incessu semicirculariter incedere gaudet.

Raris autem parumque modestis sermonibus ampullari, [1228C] appositisque cibariis omnia fastidire, litibus servientes, probris affines, cruciatibus ignotos affligere, ultimo raroque scholis interesse, parumque prodesse, primo eisdem abesse festinat.

O qualis quantaque vitiorum est permixtio! Cum quodam tempore me Athenis causa discendi recepissem, Ganymedem Pyrrh dictatoris filium omnibus praedictis laborantem inspexi, qui quandoque pedulis limbatis, quandoque caligis maculatis, per horam cedrinis tibiis elatus, nudisque pedibus praecessit, ariopagumque ut stomachatus impetiit, cauteque saepissime providi ne mihi insurgeret, quia alienigena eram.

Quid plura dicam, ad tantam licet invitum devenit inopiam, quod ea quae prius fastidendo contempsit, mendicans corrogando composuerit, fortunae meatu permutato.

Sed haec hactenus dicta sufficient.

CAPUT III.

Cum autem discipulus ad perfectionem tendere teneatur, [1228D] effectivam causam perfectionis, ut pote continuitatis constantiam, prout facultas suppetit, menti dinoscatur imprimere.

Quid enim in dilectionis opusculo lucidius constantia, quid inconstantia nequius? prima parit, secunda parta dissolvit; prima procedit, secunda retrocedit; prima colligit secunda collecta dispergit.

Cum autem gymnasiis insudare decrevissemus, magistratusque vicem dignum duximus obtinere, filium inconstantiae, imo ut verius dicam ipsammet inconstantiam, fortuna nostris assignabat praeceptis imbuendum.

Qui satiricis inhiabat atramentis mensurnus, historiographis persaepe diurnus, elegiacis annuus; ratione vero disserendi Aristotelem lamentabatur nocturnus, in editionibus philosophicis mensurnus, duodecimque tabularum compilationibus quasi instantaneus, omnibus siquidem in brevi exstiterat fastiditus.

Si vero librorum inspectionum eorumque scripturae aliquantum indulgisset, [1229A] quam plures per horam inspexisset, nullique licet brevissimo tempore manus imponeret perficientes.

Tandem mercator incoepit esse navigio.

Primae vero noctis spatio nauseae in hiatum sentina cogente provocatus, et demum ponti insultu perterritus inundantis, hortulanus esse cupiebat.

Deficiente vero legumine militiae se transtulit exercitui; visis autem hostium incursum fugae terga commendabat, Cratonisque studiis tutius inhiabat, cuius semicirculi capacitatis multis formidabat quaestionibus.

Superioris vero circuli latitudo zodiaci formata planitie drachmis arrisit septemPLICIBUS.

Prima vero litteralis protractio quaesivit utrum coeli empyrei dominio terrenitatis aliqua particeps natura possit obfuscar.

Secunda, utrum spirituum vitalis servitus terrena faecis ambitu queat naturae subsidio denigrari.

Tertia autem, an Judaicae trinae divisioni polorum, an Aristotelicae simplici acquiescendum sit partitioni.

Quarta, si Judaicae an termini sint ex ipsis, an in ipsis, an quilibet sigillatum, et si Aristotelicae cum partibus totius [1229B] localiter moveantur, quare totum non movetur.

Quinta, cur continua elementorum sit transmutatio, et an eadem sunt quae primo fuerunt elementa, an alia consistant.

Sexta, cum unum elementorum contrarium, ut aqua accidentalem accipiat qualitatem, ut caliditatem, quare non ignis accidentalem accipiat frigiditatem.

Septima, an aliqua zona a nostra sit habitabilis, quae habitantium primaeva nativitas, quis accessus eorum, qualisque recessus permutatio.

Circuli vero mappa secundi novenaria oculos intuentium detinebat inspectione.

Quarum prima, zodiaci latitudine modificantem, continebat circulum qualitatem inspective, colorumque terminos diffinitive, totiusque formae quantitatem progressive.

Secunda, an stellae fixae sint in coelo superiori, an, in propriis circulis

commeantes, planetarum ad instar praevagari discernantur.

Tertia, an cometae prodigialiter rubentes, circulariter cum caeteris planetis percurrant, an destructivae creaturae in suum chaos revertantur, natura permissione naturantur.

Quarta, an inferioris naturae [1229C] complexionata virtutem sive eclipsim contrahant ex planetis, an ex primis generantibus.

Si ex planetis, an secundum necessitatem, an secundum eventum. Si vero ex generantibus, cum unum generantium sit album et aliud nigrum, quare generatum ex his album et nigrum non est, et quare generatum quando in extremitatibus assimilatur patri, in caeteris parturienti, quandoque neutri generantium.

Quinta, quae proportio motus ad motum per planetas, et quae eorum connexio.

Sexta, cum Saturnus inter planetas sit senissimus, Venusque benignissimus, an benignitas unius malignitatem retardet alterius ex opposito advenientes.

Septima cum caurus naturaliter frigidus et siccus sit, quare nobis contrarius apparet.

Octava, quae sit elementorum connexio proportionalis.

Nona, quis sit solis et lunae meatus et effectus.

Ultima semicirculi planities proponebat, cur tremor in terris, cur concremat aera fulgur, cur maris exundat rabies, gustusque malignus, quae sit natura pennatorum [1229D] aestivalis, in hieme deficientium, et conversim; quid grandinis rotunditas, nivis prolixitas, nebulae potentia; an virtus lapidum ex complexione sit, an ex materia; an adamantina attractio ex componentibus simul sit, an ex unius incursum tantum; quid pluviae dulcedo, putei hiemalis caliditas, aestivalis frigiditas, visus triplex emissio, colorumque concretio.

Cum igitur istarum quaestionum difficilium solutio animum mutationis non posset adimplere, uxori propositus subjugari praedictis postpositis.

Visis undique virginibus, in taedium ductus parentibus sic respondit: Improbo corruptas, lectos detestor aniles.

Nil mihi cum torva virgine, solus ero. Spretisque praedictis ut pote solutionibus quaestionum difficilibus, Ptolemaei de caetero praeceptis, inquit, insistam.

Sed signorum gradus planetarumque discursus sine turris altitudine facili visu comprehendi non possunt, quid de caetero faciam.

Miserum [1230A] est me esse hominem, utinam humanitatem exuere possem, et asinitatem induere, specie hominis permutata! Sit ergo discipuli summa magistratui subjectio, exercitii attentio cum animi benevolentia et ingenii docilitate, specierum luxuriae evitatio, felisique constantiae debita professio.

CAPUT IV.

Omnia siquidem superius expedita de scholarium informatione sunt infixata.

Nunc de eorum sagaci provisione breviter est tractandum.

Cum ergo humani corporis complexio phlegmate, sanguine, cholera et melancholia consistat suffulta, ab aliquo praedictorum necesse est quemlibet elicere praeminentiam.

Melancholico vero pigritiae timorique subjecto, locis secretis et angulosis

strepitque carentibus, lucisque parum recipientibus, studere est opportunum, saturitatemque declivem serasque coenas praecavere; potibusque mediocribus gaudere ad naturae studium, prout studii desiccatio exegerit; plenaria potus receptione [1230B] ad mensuram confoveri, ne nimii studii protervitas phthisim generet, anhelam thoracisque strictitudinem.

Phlegmaticus vero licet strepitu vigentibus aedibus, lucisque capacissimis praecipit studii potest informari; poculis plenioribus potest sustentari, cibariis omnigenisque confoveri, venereoque accessu, si fas est dicere, mensurnus permolliri deberet.

Sanguineus autem, cujus complexionis favorabilior est compago, omnibus aedibus vel locis potest adaptari, quem ludendo saepius novimus confoveri gravissima quaestione, quam si obliquantibus hirquis parietes solus occillaret.

Tamen in hoc semper non est confidendum, hunc cibariis levioribus potibusque gratissimis decet hilarari.

Cholericus vero pallidus effigiei plerumque subjectus solitudini supponatur, ne nimii strepitus auditu bilem infundat in totam cohortem, sicque magistratus venerabilem laedat majestatem.

O quam magistratus laesio vitanda est! Hunc coena grandiori novimus sustentari, [1230C] potuque fortiori deliniri.

Cavendum est autem ne litis horror potus administratione istius rabidis mentibus extrahatur.

Si autem qualitates assignare ignorans sit societas, theoreticos consulat seque sic cognoscat.

Pluribus vero mentibus intimatum est gnothiselithos.

Felicisque discipuli discretio, magistratui gaudeat subijci, eumque metuendo diligit, fidelisque existat.

Nec ei, sub picturatae dilectionis obtuitu, Albinus existat detrahendo.

Quid enim detractor nequius? Vae magistratus detractori! Etiam si fuerint mille cum eo venient magistro assurgat, pro loco et tempore salutando caputque inclinet, eumque, si jubeat, assequatur, mansionique ejus, si possit, se inserat cohabitando, ut sic castigatus non solum se remordeat, verum etiam si locus adfuerit ad eum confluat inquirendo.

Si autem discipulus magistro suo semper, ut necessarium est, nequeat exhibere praesentiam, tum propter mansionis distantiam, tum propter alterius rei causam, dictatas semper lateri suo habeat promptiores schedulas, [1230D] de quibus diligenter imprimat quod conscientiae propriae noverit intimatum, ejusque explicite inquireat dubitatum.

Cum autem indiscrepans conveniensque adfuerit connexio commensalium annua, vel citior secundum propositum commorandi voluntas, salis, lignorumque in aestate fragmenta, autumnoque copiam vindemiae in messe trituras, in Capricorno congeriem carniarum conferat.

O quam proficiens est sanitatque consentaneum secundum facultatem in unum componere, ne ariocopi mucore anxionarius anhelitum infirmet, et vini insipidi acor cordis secreta confundat, carniarum lanistae rancor, salisque tritura fetor inclusus intestina corrumpat, lignorumque defectus

membra contrahat, et quod deterius est, ne assiduis incursum ingrassetur anxionarius! Magna vero discipuli es commoditas prout facultas suppetit, magistratui necessaria exhibere, ne dum ejus inhiat executioni, rerum venalium indulgeat [1231A] comparationi.

O quam absurdum est magistratus egestas! Lotricum autem vetularum remotio summopere est appetianda, earumque accessus quanto rarior tanto salubrior, ne dum venerit suggerat aliquid inquinatum, vel mancipio aliquid extrahat permollito.

Quoniam mancipiorum raro invenitur clementia, rariorque in agonia constantia reperitur.

Vae seducenti mancipio in quo plenarie confidit dominantis dilectio! Quid est tali foedius et quid tanto scelere gravius? Hospitium mundum, suppellex munda, et thorax dealbatus, mancipii prudentia rerum exitus considerantis, sedulitati dominicae semper assistentis, decenti vultu sunt componenda.

Quid mancipio subtrahente foedius? Cunctos terreat infelix Elimax, ab eliminando dictus, nomen ex re contrahens, qui cum Nicostrati munera suscepisset, primo ei vultu servituti blandiori, omnia ad nutum administrans, fidelisque per omnia existens, fidelioem se promittens, quidquid Nicostrati fidelitas possedit ipsius commissum est infidelitatis.

Quid plura, cum [1231B] nequissimi Elimacis infelix providentia cuncta vidisset sibi suppeditari, carniarum alimenta, pisciumque fomenta, caeterarum rerum venalium commercia cuncta in duplo quam essent appetiata dominicis auribus intimabat, sicque totius substantiae exhaustis incrementa, Nicostratumque in summam traxit egestatem, et creditorum diuturnam exclamationem.

Qua nihil amarius menti imprimitur.

Vae creditoris insaniei! Maxima vero Nicostrati penuria eum in mancipii erroris cognitionem perduxit.

Tarde vero Elimacem super errore suo convenit; quo auditio statim in contumeliosa verba prorupit, dominique in visceribus mucronem sepelivit, et quae prius obmiserat secum asportavit, dominicumque corpus canibus reliquit devorandum.

En quantum detestabilis proditoris impietas scelus perpetravit.

Servus bilinguis procul expellatur, et ipsius nequitia statim deponatur, licet consanguinitatis proximitate conjunctus existat.

Servorum siquidem crudelitate multos [1231C] vidimus sociorum incurere jacturam.

Creditoribus autem summa exhibeatur debiti commendati, dieique praefixae semper pro posse debiti fiat solutio.

Scholarii vero cui pleno cornu copia non arisist, o quam dulcis est creditoris translatio affiniumque suffragii exhibitio! Prudentis etiam scholaris constantia semper al quo consorte gaudeat speciali, cui propriae possit detegere conscientiam, qui nubila existente fortuna diligenter subveniat, morboque vigente sedulum se exhibeat.

Et si tetra mortis caligo adfuerit superstitis facultates disponat, si vero vivus evadat, ab eo possit sustentari, pasci, deliniri et consolari, cubitum duci, diversis etiam partibus procurari; vigente autem valetudine libelliis gaudeant permutatim, quaestiunculis

certatim commendabili recordatione gradatim, castigationis felicitate conversim, diversis etiam variisque jocorum generibus dulciter obsequendo.

Sicque inter eos mutuae dilectionis permanet integritas, ut primaevi temporis ros sit instillans, in [1231D] medio inundans, in line vero inebrians existat.

Quid dulcius, quid praeclarior, quid certe melius? praestantis enim amoris nulla favoris adoptio praestat finem.

Invidia vero, si secundum quid evenerit, in discendo videlicet, gratuita est; simplex autem proprii auctoris consumptiva est.

Cum autem parentis mei providentia ejus colloquio, ut assolet, diebus paucis promittens consolari, ait, Athenas studii ob causam me misisset, unicum custodem vitae meae inveni nomine Favonium, non a vento, sed a favore denominatum.

Hic cum me inspexisset itinere fatigatum, diversa considerantem, creberrime suspirantem, quaeivit cuja essem, secumque me adduxit, curialiter consolans, breviter inquirendo si ob studii causam illuc venissem, cujusque professionis essem, cujusque facultatis, post triduum, nomina vicorum ostendendo, angiportorum confraga, dicens: Hic vigeat praesagia Chaldaeorum, Ptolemaei non latens [1232A] gloria, Aristotelis sincera veritas, Platonis probata divinitas, Zenonis concretio, Peribonii dilectio, Pythagorae promissio, Homeri Ilias, et labor Theseos, Euclidis theoreumata, Daretis perismata, Hippocratis scrutinia; hic vigeat ariopagi efficacia, legum peritia, hippodromi confusa gloria, circi victoria, palaestrae potentia, cestus exulnatio, missilium elatio, nautarum exclamatio, juventae pervagatio, choreae conventio.

Cum ergo haec et alia multa Favonii mihi intimasset liberalitas, quaenam mihi esset facultas quaeivit, quantaque expensae loculi mihi posset sufficere numerositas, cujusque disciplinae esset mihi promptior mentis intentio.

Omnibus sibi igitur per ordinem responsis, quoddam memoria dignum amicis auribus instillavit, quod scilicet parcitati pecuniae diligenter insisterem, quoniam pudori consentaneum est stulte commissa dilapidare, cogenteque necessitate pudore me repariari confusum.

Aliud etiam nova via rationis exorbitans propalavit, ut si alicujus disciplinae me insererem, prius diligenter inspicerem [1232B] si bonis moribus obediret, liberalium artiumque ubertate titulis polleret, remotaque omni negligentia suae professionis, ut per triduum eum diligenter audirem, cunctaque considerarem, ut si bonus esset, licet balbutiens, non tamen ab eo discederem.

Feliciter autem his et aliis secretis instructus, annis duobus de viginti Athenis convalui, quidquid mali expertus ad boni tamen vestigia semper fui anhelans.

Non enim est dignus dulcoris acumine qui amaritudinis nequivit invisari gravamine.

Herodiani, Aristotelisque disciplinae semper adhaerens, aliorumque scintillulas diligenter menti meae commendavi.

Ne paupertatis facultati praesentis operis deroget simplicitas, confundat desperatio, affligat desolatio, quoddam

cunctorum naturae commune dignum duximus examini committendum.

Cum autem scholaris egestas diverso procedat intuitu, tamen propter a finium tenacitatem, tum propter eorum inundantis procellae penuriam, tum propter vitrici juvenaminis inconstantiam, [1232C] tum propter germanae nubilitatis instantiam, tum propter ipsius primogeniti militiae nimiam incuriam, tum propter familiaris adustionis versutiam, generali stemmate perusi dignum duximus consulendum.

Parentum detestabilis adunca tenacitas precum instantia permollitur, taediosisque affatibus plerumque dissolvitur, fletibusque tempestivis delinitur, promissis fallacibus plerumque excitatur, munusculis affectuosis dissolvitur, adulatione si tempestiva fuerit perforatur, si minus solidatur, adamantina licet fuerit, exemplari commonitu destituitur, aliorumque rogatibus excitatur.

Inundantis procellae penuriae per laboris incrementa proprii obtemperandum est scriptitando, trituras colligendo, areas mundando, ad tempus serviendo.

Si tamen ingeniosa scribendi facultas motum coegerit voluntarium, necessitatis stimulum dignum duximus inhibere.

Cavendum est tamen ne deliciosus mentem excitet appetitus, lucrumque enervet Sirenosum communiter scribentium, prodiga raroque fidelis defraudet adulatio, [1232D] familiarisque sinistra visu vel auditu ebibat quidquid scribentis dextra permollitur.

Glebeonis nequitia non obstante, parentelae gratia quantum discendi incommodum virtutumque decrementum mihi contulit sub Herodiano militanti! Deficiente plerumque paterni sensus igniculo, more praetaxato moerorem cautius duximus mitigare, aliquid imprimendo arbitrans tutius egere, quam velle longi laboris itinera repatriando invitus arripere.

Affinibus intimavit Glebeonis nequitia me pestiferis scriptorum sedibus imbui, lucroque seducenti diutius gloriari.

Ad malum plerumque parentis promptior intentio igne evaporavit intrinseco solitoque privavit subsidio, et priusquam exitus acta probasset, non declinavit amentia, praecumque in nullo profecit instantia, post bima un delatoris notoria traditio remansit, sed non inulta recessit.

Obsequio vitrici si nequeat consolari facultas, minis derogetur, tractuque tempestivo comminatur [1233A] ut jocosa Proculi docet transactio.

Germani festivantis incuria exemplari mitigetur eulogio, ipsiusque propinquitatis admonitio corrigatur versutia, vel amentia deprimatur.

Germanae nubilibus annis affini quanto citius obtemperandum est, ne per incuriae vitium rosa primula pollice carpatur indigno.

O quam sororis commendanda pudoris professio, dolendaque contrarii commissio, veluti vultum deturpantis pudore plena pulpae ressecatio! Obtemperandae germanitatis insignia secundi Theophrasti Symmachum oeconomum sub silentio committendum non est, qui, utroque parentum viam universae carnis ingresso, imminentes infamae germanae constantiam dotis beneficio

maritavit, seque fortunae meatibus obnixae commendavit.

Elisiae marito naufragiis surrepto Symmachum fratrem soror insequatur.

Elisia in multis serviendo, meritorum simulacro cuncta Symmacho ministrabat.

Nam propriae carnis illecebris dum deesset facultas, secretius florem exponebat.

Maluit enim incuriae vitio clam Elisia succumbere quam fraternae [1233B] foedus constantiae se viva dirumpere, nec ab inceptis retrograda permansit, quousque inchoata fine terminavit idoneo.

Tenacitatis industriae rudimento adustioni domesticae succurrendum est, ne mutatae pecuniae diligentia bilem infundat, alterius eam vel rei afflictus casum conferat, quidquid sub his fiat, caute conferendum est ne pusilla rerum tenacitas vultum ruboris iudicio in posterum obstipet, tabulata enim plerumque fortia unius scintillulae laesione ruere dignoscuntur.

Quid de Calvo milite luce sapientiae praedito senserit canities cognoscatur, qui, primaevo militiae flore transitum faciendo, latenter sub Birrho amphoram quandam secum detulit, mancipii gratiae commendavit, statuque levi permutato alterius vicem elegit cohortis, de ollaque fictili cocum convenit.

Rixae rancorisque freno dissoluto, indigne cocus rancorem perferens canitiem fictili percussit, quae licet postmodum hedera decorata esset, nullius tamen de caetero succi connexui [1233C] pristinum statum potuit revocare laesionem, ex incursum fictilis proba sibi simulque stirpi contrahendo.

Sit ergo tuta paupertatis facultas, munda, parvoque contenta, incursum viriliter perferens, ad summa semper anhelans, omnibus obediens.

Et sit prompta famulatu, et ad loquendum tarda, fidelis in obsequio, integra amore, dulcisque colloquio, cordis tumorositate carens, quoniam ejus oppositum cum eo commorari non appetiatur.

Licet enim a multis destituitur laboris retributio, tamen ab aliquo promeretur favoris adoptio.

Nonne in modico plerumque lapsu contingit, quod annuo nequit produci circulo.

Adulatoris officio, delatorisque consortio, pro loco negotioque temporis exterminatis.

CAPUT V.

Cum ad magistratus excellentiam bonae indolis adolescens velit ascendere, necessarium est ut tria genera statuum, quae in assignatione probabilitatis innuit Aristoteles, diligenter intelligat.

Sunt autem [1233D] quidam vehementer obtusi, alii mediocres, tertii excellenter acuti.

Nullum vero vehementer obtusorum vidimus unquam philosophico nequire vehementer inebriari.

Istis autem mechanica gaudet maritari, mediocribus politica.

Excellentes vero auctorum tres invenimus partitiones, quorum quidam sunt excellenter acuti, alii mediocres, tertii excellentissime acuti.

Excellentes acutis gaudet oeconomica, mediocribus vero sub lunari globo physica, apothecariorumque practica.

Excellentissime acutis, quos maxime Aristoteles notos secundum philosophiam vocat, universalium per experimenta singularium ariditate cognitio; haec trivium domina est, quadrivium potentia, o quam est felix exhibitio! Mediocritatis tamen extrema partitio, bonos triviumque licet sibi quandoque comparavit cum sudore, magistratus tamen dotati sunt honore consumpto flore juventae.

Istis siquidem praedictis hoc modo [1234A] est ordinandum: primo ut sciat quae quisque ad tanti nominis pertineant reverentiam, ut quae scita sunt exprimere noscat, et ne scriptorum commissioni se totaliter committat, ut Lucretius, qui cujuslibet quaestionis nodum propositae inquirendo, dimisso comitatu schedulis confluebat.

Secundo ut librorum copiam suae acquirat exercitationi, ut cum opus fuerit eos consulat.

Nec omnino eis credat, ut Jugo qui Montani sui magistri monitis in tantum confusus est, quod omne verbum ab ipsius ore progressum quaternis exarabat et tanquam sacrum existimabat, nil aliud quam magistri vicem in scholis obtinens praedicabat, unde multoties pudore confusus inclusus abibat.

Quippe miserrimi est ingenii semper inventis et non inveniendis uti, stultius est magistratus orationibus omnino confidere, sed primo credendum est, donec videatur quid sentiat; postea fingendum est eundem in docendo errasse, ut si forte reperire queat quid commissae obijciat sedulitati.

Tertio ut quosdam habeat quos secreta doceat, librosque [1234B] legat, aliisque rudimentis informet, ut sic intellecta sciat, scitaque exprimere discat, et expressione frequenti usum comparet, usus magisterium propinat: alios namque docere est propriae facultati indulgere.

Quarto ordinandum est ut hos aliosque sibi alliciat, ut cum opportunitas magistrandi adfuerit, eorum intrinseco gaudeat aspectu.

Quid turpius quam primo inceptionis tempore solus destitui, ut Flavus, qui ob sui generis imperium gazaeque dominantis opulentiam cunctos sibi credidit subjugari, tempore vero concursus elapso, raro reperit sodalem qui lege conductionis adhaesit licet invitus, minas omnigenas regaliter addendo.

Generositas tamen consentaneum est secundum duplicem partitionem affinitatis, magistrantis saltem ad tempus fovere praesentiam.

Quinto ut quorum gratia coronandus est, in favore illorum scholas semper peripatetice obambulet, curialiterque opponat, protervientesque acriter remordeat, diligentiusque pro [1234C] tempore respondeat, ne si muta fuerit voluntas, ignorantiae imputetur caecitati vel arrogantiae temeritati.

Multos siquidem ob repositionis protervitatem speculantium, licet invite, vidimus praecipitio frui, non enim discentis inter est probis affatibus et contumeliosis regentem incitare.

Nec licet summa familiaritate conjunctus fuerit ipsius docentis secretis, nisi jussus debet inihiare, jussus vero invite.

Nonne Fontini protervitas Zenocratis scrutinia aperuit, edocta publice prius inespexit, seque magistrari credidit, si omnem Zenocratis abstulisset Minervam, qua ablata Zenocrates

studere desiit, ablatisque Fontinus unesciens, phrenesi laborabat grandiori? proprio ergo discipulus labori confusus, alieno nunquam invidet honori.

Cum autem dies summae promotionis adfuerit, brevi stemmate compendiosoque affatu veneranda commendetur sociorum collectio, sicque ad honoris initialis incrementa intrepide procedendum est, decenti ornatu, festivo apparatu, si facultas suppetat, cunctis vel ad libitum ejusdem [1234D] saltem professionis splendidae procurato.

Caute tamen considerandum est etiamque investigandum ante magisterii elationem, ut primi anni decursu propria possit sustentari si opus fuerit facultate.

Turpe est enim ob reverentiam tanti nominis prima fronte mendicare, ut Strictonius, qui omnibus ad magisterium pertinentibus venerabiliter exsecutus, luce coepit tertia mendicare, tantique ausus mox eum poenituit.

Quid mirum? quasi instantaneus delusus abscessit, tanti honoris fastigia nunquam de caetero confessus.

O quam felix exitus veneranda est commendatio!

CAPUT VI.

Expeditis his quae ad scholarium eruditionem digesta sunt, dilucidandi moderatione observata, nec angariare lectorem sermonis brevitate curamus, nec dilatione confundere, nunquam lucidiori stylo [1235A] leviorique stemmate perusi, quoniam non solum discretis, verum etiam rudibus aenigmatis serie postposita commendatur.

Nunc ad magistrorum venerabilem proferendum est majestatem.

Magistrorum autem talis habeatur divisio.

Tantum quidam duabus urbibus caeteris fulgentioribus, scilicet Romae et Athenis commorantur, ulterius nusquam procedentes, nisi quantum fortuna succedit eis ut altius venerentur.

Alii praedictorum omittentes fastigia locorum, oppidorum adjacentium quaerunt emolumenta, tum propter novercam disciplinae egestatem, tum propter natalis patriae dulcorem renitentem.

Tam istorum quam aliorum quidam ratione pulchrae denominationis imperium assumunt, ut honorificentur.

Alii ratione intelligentiae ignorantia eorum ne confundantur.

Tertii subtilius speculantes propter utriusque partis incrementa magistralia contrahunt paludamenta.

Talium namque quicunque venustatis assumptae debiti officii velit emolumenta prosequi, in universa morum honestate oportet ut polleat [1235B] praeclearius, ut sit utique in sermone verax, in iudicio justus, in consilio providus, et in commisso fidelis, constans in vultu, pius in affatu, virtutibus insignitus, bonitateque laudabilis existat; si quid vero contrarii acciderit, humanae fragilitatis appetitu accidere solet.

Conversatione etiam sit bonus, nulla siquidem res est magis perniciosa discipulo, vita magistri contumeliosa: infusa enim videntur saepissime confundi et fetido vase, quia fetidum vas aquas infusas corrumpit.

Haec autem ad animae docentis informationem digesta sunt; nunc de caeteris primariis, non dico de primo

primis, sed de secundo primis disserendum est.

Tenetur quoque doctor eruditus esse, mansuetus, rigidus, antiquus non annis, non negligens, nec arrogans.

Sit, inquam, eruditus.

Prius enim oportet ut discat quam doceat.

Trivii siquidem comparisonem doctrinae novimus assistricem.

Valde vero absurdum est et iniquum, ut imperiti peritis, novelli antiquis, rudisque praeferantur [1235C] eruditis.

Mansuetus: quoniam quandoque discipulorum elationem pati opportunum est, ergo mansuetudine utendum est.

Magister Franco in immansuetudine prodeat in exemplum, qui ob discipulorum suorum nobilitate sua utentium irrefrenabilem arrogantiam laqueo se suspendit; sapientius autem egisset si mansuetudine usus fuisset.

Rigidus: in scholarium enim amplexu rigore frui commodissimum est, ut sic errantium vindictam imponat, sophistarum lites dissolvat, oblatantes remordeat, obloquentes reprimat, protervientes castiget, totamque determinationem dialecticam faciat.

Antiquus vero non annis, sed perpetua scientia; si vero utrumque adfuerit, sanior conditio erit.

Non negligens: quoniam sicut in uno quoque opere mater invenitur constantia, ita universae doctrinae et disciplinae noverca est negligentia.

Opportunus enim esset mechanicae deservire arti quam negligentiae jugo onerari.

Non sit arrogans: quoniam vivax pauperum scintillula exstinguitur magistrantis arrogantia, voluntasque [1235D] discendi divitibus sequestratur, quoniam arrogantis magistri sedulitas nunquam fideliter hominem instruxit.

Hi sunt qui id quod sciunt humiliter docere contentum, et quae ratione sapiunt recte monstrare nequeunt, quoniam in fastigio positi mentes moerentium despiciunt, nec in datorem scientiae causam referunt, sed propriam in se respiciunt excellentiam.

Hi etiam sunt qui fimbrias dilatant, phylacteria magnificant, in publicis spectaculis eminentiora sedilia quaerunt, et ab omnibus rabbi nomine vocari et salutare desiderant.

Tales siquidem omnium bonorum collectio, jure sedulitatis ablato, a se relegabit.

Cum autem bonae inquisitionis tiro legendi causa scholas intraverit, rigore intrinsecus assumpto, considerandum est ut aurorae tempore continuo submissa voce incipiat, ore rotundo mediocriter ascendendo, nisi magna urgeat necessitas expectando.

Quoniam si magistratus diligentia aliquos ultra debiti temporis [1236A] spatium expectare praesumpserit, hos siquidem pigritiae mora confundit, iraque se rancore comminuet.

Cum autem pigritiae discipulus, dormitationis artifex, magistri noverit sedulitatem, aut maturius festinabit, aut pudore confusus in hujus opprobrium dormitabit.

Sed non faciat ut Assuerus poeta praecipit, quem Dromonis Castoris discipuli pigrities nequivit in risum excitare.

Eo vero more quotidiano ad primam stertente, unguibus scabris membratim musicum melos agentibus, oculisque lippientibus, lucemque explorantibus

matutini laboris, in scholisque ne res peragatur consortibus advenientibus sic dicebat: Lucis rubore diei aurorane adhuc confunditur? Illis itaque negantibus, mediam partem diei creberrime somnolentus explevit gratias Deo agendo, maluit enim sani capitis habere duritiam quam insani peritiam.

Si vero meridiana disputationi plerumque adesset, nativum morem excedere nesciens, naso vigilante stertebat, affinibusque ob porcinae corrosionis strepitum praebebat fastidia.

Dum aliquando olera [1236B] secundas ejus delicias hauriret, ora hiatui, lumina somno commisit.

Manus vero, licet sordida, in catino aliquid predebat, sed sopor ei nocivus exstitit, dum cibaria incarceratione quaesivit.

Ad quem fructum maturitatis, o Marciane sociorum carissime, creditis hunc pervenire, vestra siquidem novit intentio.

Si disserendi causa meridiemus doctor studium adierit, cavendum est ne sophistico polleat apparatu, nec tetrus moveatur difficultatibus, sed studiosa praemeditatione omnibus armatus, intrepidus, adeat lites, easque facili mente componat, et illud quod quisque objecerit ita memoriae disponat, ut detegendi tempore a via rationis non discedat, sed ordine competenti aenigmata dilucidandi moderatione assumpta explicite dissolvat.

Si vero maxima, ut assolet, discretorum mentibus contigerit dubitatio in disserendo, studiis utendum est deliberando, et quod naturalibus motibus mens exagitata dictaverit, conscientiae in crastinum proferendum est.

Eodemque modo si difficillimum [1236C] quid quisquis praemeditatus fuerit, discretioni est commendandum; facilius enim disserendo plerumque difficultatis scintillula invenitur quam si studii observationi committeretur, quoniam non in altero tantum scientiae veritas reperitur, ut dicit Aristoteles.

Animadvertendum est etiam quod tribus modis in traditionibus uti solet discretorum cognitio.

Novis siquidem et inusitatis editionibus gloriari, veteribus tetrisque discipulorum mentes palliare, vetustissimis tamen innovatis et tanquam propriis rivis manantibus credentium intelligentias excitare.

Si quis vero horum discipulorum sagacitate oblectaverit, archischolari jungendus est, ut vel eis recordationis seriem fideliter imprimat, vel exarandi diligentiam commendet.

Magnum siquidem in his utilitatis fomentum colligetur.

Ut autem ad magistratus apicem tempore perveniat discipulus, studio continuitatis immorandum est, recessusque secretiori, licet sanguineus existat, insistentum est, ne strepitus assistentium mentem hebetet, vel migrantium rixa confundat intellectum, [1236D] nullis vinculis vitales spiritus impediuntibus.

Honestati enim consentaneum est ut secreta rimando solitarii magister existat magis quam libellos extrahendo cunctis praesentiam suam exhibeat: nonne detractionis filius magistri sedulitatem libros extrahentem aspiciens, quid in quantum utique meditaretur? Si vero primaevio tempore magistrantis diligentia copiam discentium non habuerit, idcirco non

tepescat, nec spe deposita evanescat, sed tanto acrius studiis insistat, seque in conflictu strenue praebat, ut sic licet cum paucis honorem contingat.

Paucorum enim consortio multos delinitos, profunditatis studio vigente, frequenter vidimus strenue intulari.

Nonne Theophrastus subtilitatis artifex, paucorum suffultus ornatu, spe defraudatus regendi, curam objecit, quod tamen inconsulte egit, consultius enim egisset si se studii observantiae commendabilem exhibuisset.

Muneribus tamen magistri Leontini discretio multorum [1237A] sibi acquisivit consortium.

Pulchrius enim sic egere censuit quam discentium coetu destitui.

Pietatis vero ambitu scholarium rector delinitus, discipulorum corda paupertate degentium studioseque discentium mulcere tenetur, videlicet cibariis, calceis, vestibus saltem tritis, si facultas suppetit, caeterisque donatis subveniat, consilioque, ut decet, concitativo.

Quae enim praeclearior naturae quaeve suavior quam veris scholaribus erogatio? Praeclearius est enim confovere scholarem his in quibus est minima donantis exhibitio, maxima vero pauperis recipientis promptitudo, quam histrionum et meretricum detestabiles incursus deliniri.

Nubila licet quandoque fortuna existat, non tamen magistrantis cura desperet, sed semper curialiter se regendo incursus viriliter perferat, dulcius exspectando.

Proh Coriandi pudenda transactio! Si autem ob festivi temporis impulsu deliciarum loca visitare placuerit, semper coetus sui nobiliores, formaque eminentiores, docentis secum habeat discretio, ne quasi destitutus solatio a multis [1237B] videatur, vel ne in periculum excitetur.

Maronis saltus felicium discipulorum privari coetu indoluit.

Licet autem in scholis rigidus existere debeat, tamen ingressu salutando devotus permaneat, in sermone jucundus transmigrantibus, comes alludentibus, fidelis admonitu commorantibus, castitate cautus affinibus, ne suspirantis nasi fetorem si quis adferret, amicabilem ebibat affinitas.

Extrema praesentis voluminis exstat compilatio de magistrantibus, quos liberalibus noverca disciplinis egestas fines compulerit invadere alienas.

Et de illis quos naturaliter patriae revocat dulcedo, aliquid sub compendio dicamus.

Cum ob egestatis causam repellendae lucris quaerat quis odorem dulcissimum, considerandum est ut salvo magistratus honore paritati quantum queat insistat, vestibus mediocribus inhiat, et scholarium regimini praecipue indulgeat, puerisque primo praebeat vultum benignum, parentibusque eorum benigniorem affatum, docendique auditum spondeat benignissimum, [1237C] ut sic non solum puerorum corda permolliat, verum etiam parentum pecuniam extrahat, famamque efferat, scholae vero jura regulariter defendet, ordine docendi prius edocto putatur.

Eisdem etiam aliquantum adultis rigidum se exhibeat, ipsorumque ora ad recte loquendum componat, digitosque ad scribendum constingat, ad legendum omnino conformet, rigore justitiae comitante, ut sic non solum in doctrina, verum etiam in facietia

conveniat, ludendique spatium tempestive concedat, docendique beneficia nullo casu subtrahat.

Si vero contumacem superbumque invenerit, dulciter castiget, exemplaque morum proponat quibus reprimatur, alioquin parentum assensu virgis affligetur, ut sic ad unguem castigatus evadat, ne desperatus in ignominiam cadat.

Cum autem magistrantis dilectio aetate infrigidatos statualesque planeticos scholastici introitus habuerit participes, si correctionis lima apud eos uti nequiverit, senio confectis arrendum est, statualibus ingemisendum, planeticisque [1237D] favo is simulacro est congaudendum.

Calamistratos cirris hirsutis perurat, fucoque perfusos lacrymis irrigantibus gulam perfundit, mollesque caute ejiciat ne mentis suae reatum commoti participant.

Animadvertendum est etiam quod quorum erogatione laboriosum delinuit certamen, in illis doctrinalis comprobetur effectus, rerum namque effectus exhibitione operis declaratur.

Ordine autem competenti vicissim sunt convocandi, ut fidei scrutinio pateat quid subministrantium labor diurnus [1238A] erogaverit.

Subministrandum enim curae non semper est confidendum, quoniam illorum cupiditas fractis assibus plerumque permollitur, aut spe defraudata tepescit fidelitas, aut ut videantur fideles crudescit potestas.

Sicuti vero paupertati felici misericorditer deferendum est, sic non minus ipsius eruditionibus attentius est insistentum.

Cum autem coena pauperior adfuerit, commensalibus est eroganda facultas, familiaribus complicitibusque vicinitatis invitae porrigenda, ne familiaris vox secreta revelet detrahendo, vel multiplicitatis anus prodiga propinquat anui annectendo.

Quid autem anu conscia futillius? Proterva in minimis procul absit rapacitas, et fame noverca et adunca tenacitas.

Cavendum est etiam ne puerorum pulveri feculento plus quam triennio ibidem alludat, licet maxima comitum gazeave adfuerit affluentia, considerataque amoris opulentia, nisi honoris promotio vigeat in amore vel facultatum elatio in honore.

Cum autem ob dulcoris patriae delicias, parentumque venerabiles aspectus, regendi curam [1238B] quis acceperit in natalis soli confinio, pomposo affatu insistentum est.

Cante splendideque procurationi vicissim est arrendendum, vestiumque varietate gaudendum, quoniam vestis polymite venustas, annulorumque insignia, multos aliud quam veritas exigit cogunt obtinere.

Ornatus, favor, affatusque lepos, quam plurimos comparatos sensu, erroneo Homerum excedere visu compellunt, ordine tamen docendi praetaxato diligenter observato.

Jocorum quoque damnosa libido attentius ablata sit, ut quod raro contingit provincialis honor, famam efferat in tituli commendationem.

Quanto magis vero venustatis titulus surrexerit, tanto magis subditorum insistentum est favori, ut quod proprii oris nequit efferrit multibus, ipsorum tempestivis erogetur affatibus, ut non solum in morum dulcedine, verum etiam propriae facultatis acumine commendabilis inspectetur.

Cum autem tam morum quam facultatis complicitibus, aliis etiam qui eum unico aspectu attigerant, moeroris causam praebuit et incrementum, qui Castoris in diversorio ob Eufrasiae uxoris suae delicias obdormivit, amplexando reperus est, capillis tractus, verbera castigatus, vulnere laceratus, sale fricatus, urina servorum perfusus, angulis ejectus, trabibus erectus, tandem lassatis tortoribus genitalibus privatus, sterquilino suppositus, transeuntibus expositus: plebis abjectio, discipulorum desolatio, commilitonum opprobrium crudumque ac crudele, miserum ac miserum cunctis exstitit doloris spectaculum, affinitatis gratia parentelaque gloria in nullo sibi proficientibus.

Venerabilis Cratonis effigies propriae facultatis complicitibus, aliis etiam qui eum unico aspectu attigerant, moeroris causam praebuit et incrementum, qui Castoris in diversorio ob Eufrasiae uxoris suae delicias obdormivit, amplexando reperus est, capillis tractus, verbera castigatus, vulnere laceratus, sale fricatus, urina servorum perfusus, angulis ejectus, trabibus erectus, tandem lassatis tortoribus genitalibus privatus, sterquilino suppositus, transeuntibus expositus: plebis abjectio, discipulorum desolatio, commilitonum opprobrium crudumque ac crudele, miserum ac miserum cunctis exstitit doloris spectaculum, affinitatis gratia parentelaque gloria in nullo sibi proficientibus.

Licet enim prima quandoque salva fiant indicia, ultima vero alterius saporis inquinamenta permanebunt, [1238D] etc.

Consiliabar item gnatorum solve carmen,

Obliqua facie surdus ab arce vehor. Non pudeat struxisse dolos ex aggere sato,

Rumiferos sonitus dum movet ampla seges.

Aderat interdum rabies contermina pumto.

Dum loquor, ex quarto capite confer opus.

Vos precor, o juvenes quibus est celebranda juvenus,

Suggerat innocuos nunc mea lyra modos.

BEATI FLACCI ALBINI SEU ALCUINI CAROLI MAGNI MAGISTRI OPERUM PARS SEPTIMA OPP. DIDASCALICA.

263 PRAEFATIO.

[847] Haud, puto, aegre ferent viri eruditi quod inter haec genuina beati Alcuini opuscula non reperiant librum illum incompletum de septem Artibus, quem tamen cl. Quercetanus scriptori nostro ex fide veteris codicis Jac. Sirmondi attribuit, et suae editioni a pag. 1246 et seqq. inseruit. Enimvero adeo perspicuum mihi videtur, nihil hujus libri ad Alcuinum nostrum pertinere, ut in ipsa statim Praefatione illi praefixa verus se auctor manifestat prodaturque, is ipse nimirum, qui scripsit librum divinarum Institutionum: »Superior liber, inquit, Domino praestante completus, Institutionum videlicet divinarum continet Lectionum; hic triginta tribus titulis noscitur comprehensus.... Nunc tempus est ut 264 aliis septem titulis saecularium lectionum praesentis libri textum percurrere debeamus;« est vero omnium eruditorum consensu, et omnium codd. mss. fide, verus divinarum Institutionum et simul saecularium lectionum, septem titulis, nimirum de Grammatica, de Rhetorica, de Dialectica, de Arithmetica, de Musica, de Geometria, de Astronomia,

comprehensarum, auctor Magnus Aurelius Cassiodorus Senator, quod pluribus argumentis demonstratum dedit doctissimus congr. S. Mauri monachus D. Garetius Oper. Aurel. Cassiodori, in Praefatione, pag. 10, edit. Venet. anni 1729. Cum igitur hic Liber de septem artibus inscriptus (cujus quidem non nisi duo priora capita, eaque admodum mutilata exhibet Quercetani editio) partus sit beato Alcuino certissime suppositus, et apud Cassiodorum integer exstet suo vero parenti assertus, illum, non invitis, reor, viris eruditissimis, a genuinis Alcuini opusculis rescindendum censuimus.

Initium igitur hujus partis capimus a Dialogo de Arte grammatica, quem excipiet libellus de Orthographia noviter repertus; hunc sequitur Dialogus de Arte rhetorica, et alius de Dialectica; cui subjungitur Disputatio Pippini cum Albino scholastico: quibus demum addimus quasdam lucubrations, et fragmenta de Cursu et Saltu lunae ac Bissexto, quae ex codd. mss. eruimus, et Alcuino tanquam vero auctori, ob rationes in Monitis praevis preferendas, tribuimus. Dolendum profecto reliqua quae Alcuinus de Arithmetica, Geometria, Musica, Arte metrica et Astronomia certissime scripsit, ut plurimum periisse. Certe Alcuinum, postulante imperatore Carolo, non tantum de Grammatica et Dialectica, sed etiam de Musica scripsisse, Vitae illius scriptor testatur. Institutiones quoque Artis arithmeticae ac Astronomiae eidem imperatori non ore tantum tradidisse, sed etiam calamo exarasse, ex initio Dialogi de Rhetorica colligi posse videtur, ubi Alcuinus Carolum ita loquentem inducit: »Ex quo mihi paucis tuis responsionibus januas rhetoricae artis vel dialecticae subtilitatis claustra aperuisti, valde me in ejus rationes fecisti intentum; maxime, quia me in cellaria arithmeticae disciplinae pridie sagaciter induxisti, vel astrologiae splendore illuminasti.« Quae verba sane innuunt, Alcuinum, antequam hunc de Rhetorica Dialogum scripsisset, similem quoque de Arithmetica et Astronomia confecisse. Demum inter scripta Alcuini a Trithemio libro II de Viris illustribus ord. S. Ben., cap. 26, recensetur liber de Arte metrica; et sane ipse Alcuinus discipulis suis Franconi et Saxoni promittit, pleniorum se de metrica ratione informationem daturum. »Plenius haec (respondet ad quaestionem de communibus syllabis) vita comite in metrica ratione vobis, filii, monstravero.« Et paulo post: »Aptius haec in illa metrorum subtilitate intelligetis; quia pedes et accentus nisi ex brevibus longisque syllabis nequeunt intelligi.« Verum haec omnia vel rerum edax tempus consumpsit; vel in necdum perquisitis forulis etiamnum forte delitescunt, a feliciori manu aliquando reperienda.

Interim ex his quae nunc ex codd. variis mss. in lucem proferimus multo emendatiora, quam unquam prodiere, attentus lector intelliget, B. Alcuinum non in exegeticis solum dogmaticisque scientiis, sed in profanis quoque litteris et liberalibus artibus apprime versatum, imo inter aevi sui doctores facile primum fuisse: »Omnibus enim, ait Canisius, omnia factus est, theologis theologus, dialecticis dialecticus, musicis musicus, rhetor

rhetoribus, grammaticis grammaticus, atque adeo puer pueris, ut omnes lucrifaceret.« Quod ipsum de semet praedicat in epist. 43, ad Carolum, ita scribens: »Ego Flaccus vester... alii per tecta S. Martini sanctarum mella Scripturarum ministrare satago; alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo; alios grammaticae subtilitatis enutrire pomis incipiam; quosdam stellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnae domus culmine, illuminare gestio; plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctae Dei Ecclesiae et ad decorem imperialis regni vestri erudiam.«

OPUSCULUM PRIMUM. GRAMMATICA.

265 MONITUM PRAEVIUM. Praesens opusculum ex bino dialogo constat; primus inter magistrum et discipulos, qui quasi praeliminaris instructio est ad veram sapientiam acquirendam, ad quam per grammaticam, rhetoricam, dialecticam, arithmeticam, geometriam, musicam et astrologiam, veluti per gradus ascendendum esse magister docet; atque ideo huic primo dialogo in cod. ms. Frisingensi singularis haec praemittitur inscriptio: Disputatio de vera philosophia.

Alter dialogus, qui proprie de Arte grammatica est, tres habet interlocutores, magistrum nempe duosque pueros, unum Saxonem, alterum Franconem. Quanti hanc beati Alcuini grammaticam fecerit celebris ille Notkerus Balbulus, ex illius ad Salomonem suum discipulum, postea Constantiensis Ecclesiae episcopum, verbis aestimari potest: »Albinus, inquit, talem grammaticam condidit, ut Donatus Nicomachus, Dositheus, et noster Priscianus in ejus comparatione [849B] nihil esse videantur.« Sed hoc quidem elogium nimium est; videri tamen possit, hanc grammaticam ratione methodi, qua tractatur, multis aliis utilitate praestare; quod iudicium est D. Riveti, Hist. Lit. Franciae tom. IV, pag. 317, num. 21. De eadem grammatica, de egregiis doctrinis in illa repertis, deque duobus pueris Saxonem et Franconem copiose et erudite commentatus est illustris D. Joan. Guilielmus de Berger, eloquentiae professor publicus, bina dissertatione de Eruditione Saxonis Carolini, Vitembergae habita anno 1741; cujus copiam mihi fecit vir celeberrimus atque ob singularem eruditionis copiam clarissimus D. Christ. Adolphus Klotzius regi Borussiae a consiliis aulicis.

Primus hoc opusculum in publicum produxit Canisius tom. V Lect. Antiq., pag. 988 et seqq., et apud Basnage, tom. II, part. I, pag. 506. Posthac illud Collectioni veterum grammaticorum Putschii, quae anno 1605 Hanoviae prodiit, insertum fuit.

[849C] Hic vero hanc beati Alcuini grammaticam ad codd. mss. vetustissimos et optima notae Frisingensem et S. Emmerami diligenter emendatam exhibebimus, sublatis plurimis mendis, expletisque lacunis in editione D. Quercetani

exstantibus, quae omnia, more nostro, his [] signis conclusa significamus.

DISCIPULI. MAGISTER.

DISCIPULUS. Audivimus, o doctissime magister! saepius te dicentem quod philosophia esset omnium virtutum magistra, et haec sola fuisset quae inter omnes saeculi divitias nunquam miserum se possidentem reliquisset. Incitasti nos, ut vere fateamur, his dictis ad tam excellentis felicitatis indagacionem, scire cupientes quae esset hujus magisterii summa, vel quibus gradibus ascendi potuisset ad eam. [849D] Aetas [enim (Edit., igitur) nostra tenera est, et te non dante dexteram sola surgere satis infirma est. Animi vero nostri naturam esse intelligimus in corde, seu oculorum in capite. Oculi itaque si splendore solis, vel alia qualibet lucis praesentia asperguntur, perspicacissime, quidquid obtutibus [850A] occurrit, discernere valent: caeterum sine lucis accessu in tenebris manere notissimum est. Sic animi vigor acceptabilis est sapientiae, si erit qui eum illustrare incipiat.—MAGISTER. Bene siquidem, filii, comparacionem oculorum et animi protulisti. Sed qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. I, 9), illuminet mentes vestras, ut in ea proficere valeatis philosophia, quae nunquam, ut dixistis, deserit possidentem.

DIS. Scimus, magister, scimus certissime quod ab eo postulandum est qui dat affluenter et nulli impropert. Nos tamen morulis quibusdam instruendi sumus, et quasi infirmi tardiore gressu ducendi, quousque aliquid fortitudinis accrescat in nobis. Ignem siquidem silex naturaliter habet in se, qui solet [850B] exire ad ictus. Naturale itaque est mentibus humanis scientiae lumen, sed nisi crebra doctoris intentione excutiat, in se quasi scintilla in silice latet.

MAG. Est equidem facile viam vobis demonstrare sapientiae, vi eam tantummodo propter Deum, [propter rerum scientiam], propter puritatem animae, propter veritatem cognoscendam, etiam et propter seipsam diligatis; et non propter humanam laudem, vel honores saeculi, vel etiam divitiarum fallaces voluptates, quae omnia 266 quanto plus amantur, tanto longius aberrare faciunt a vero scientiae lumine ista quaerentes: velut ebrius domum, quo tramite revertatur, ignorat.

DIS. Fatemur scilicet nos beatitudinem amasse: [850C] sed si qua possit in hoc saeculo esse ignoramus.

MAG. Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas: sed ad falsa quaedam plurimos eorum devius error abducit. Quorum quidem alii maximam felicitatem divitiis abundare credunt [Al., credentes], alii honoribus gaudent, alii potentia congratulantur, alii voluptatibus delectantur, alii laudibus inhiant. Quae diligentius considerata tantis implicuntur calamitatibus, ut vix aliquid beatitudinis habere videantur. Haec enim sibi somniantes veram aliqui felicitatem fore existimant, et dum eos ad verum bonum naturalis intentio ducit, multiplex tamen error propter ignorantiam abducit.

DIS. Quis sanum sapiens haec esse transitoria ignorat? tamen hujus vitae

viatorem horum abundantia [850D] adjuvari quis nesciat?

MAG. Moderatus eorum usus adjuvat, nimius gravat. Unde philosophicum illud valet elogium: Ne quid nimis.

DIS. Notum est, omnia nimia nocere. Sed usque ad quem finem eorum est, quae paulo ante numerasti, abundantia petenda?

MAG. Quantum necessitas [851A] corporis exigit, et quantum sapientiae expostulat studium.

DIS. Perfectorum esse arbitramur hujusmodi rationis frenis animarum cursus coercere.

MAG. Ad hanc scilicet perfectionem, dum aetas floret, dum animus viget, vos, filii, cohortor.

DIS. Duc, age, et reduc per divinae vias rationis, et ad hujus cacumen perfectionis transfer. Nam, licet impari gressu, te ductorem sequimur.

MAG. Quid homo, rationale animal, meliore parte immortalis, tui Conditoris imago, quid propria perdis? quid aliena petis? cur infima quaeris et summa relinquis?

DIS. Quae sunt propria, vel quae aliena?

MAG. Aliena sunt, quae extra quaeruntur, ut divitiarum congregatio: [851B] intra, sapientiae decus. Igitur tu, o homo! si tui ipsius compos eris, possidebis quod nec unquam amittere dolebis, nec ulla tibi fortuna auferre valebit. Quid igitur, o mortales, extra petitis, dum intra habetis quod quaeritis?

DIS. Felicitatem quaerimus.

MAG. Bene quaeritis, si manentem quaeritis, et non fugientem. Videtis quam multis amaritudinibus terrena felicitas aspersa est, quae nulli vel tota proveniet, vel fida permanet, quia nil non mutabile praesentis vitae inveniri potest. Quid pulchrius luce? et haec tenebris succedentibus obfuscatur. Quid floribus venustius aestatis? qui tamen hiemalibus frigidibus pereunt. Quid salute corporis suavius? et quis hanc perpetuam habere confidit? Quid tranquilla pace jucundius? [851C] et tamen saepe haec tristi discordiarum fomite irritatur.

DIS. Haec omnia sic se habere, sicut dicis, non dubitamus. Sed quorsum ista?

MAG. Ut ex majoribus minora cognoscatis.

DIS. Quonam modo?

MAG. Si coelum terraque suis semper vicissitudinibus mutantur, generalis omnium [mortalium] pulchritudo et utilitas; quanto magis cujuslibet rei specialis delectatio transitoria esse necesse est? Et cur ea amari debent quae permanere nequeunt? Quid vos homines de [nominis (Edit., hominis)] laude, de honoris dignitate, de divitiarum congregatione cogitatis? Legistis Croesi divitias, Alexandri famam, Pompeii honorem? Et quid [851D] haec perituros proderunt? dum quisque illorum immatura morte cum magno quaesitam labore cito perdidit gloriam, minutique quodammodo propriae integritatem scientiae [Ms., justitiae], qui ex alienis sibi sermunculis laudem quaerit. Quid de divitiis congregandis studetis, quae vel deserunt, vel deseruntur? quae effundendo quam

servando melius ditant [Ms., nitent]? Siquidem avaritia odiosos, claros largitas facit. Quarum abundantia nonnisi ex aliorum indigentia [Ms., indulgentia] congeritur. Quid honores fomenta superbiae quaeritis? Nonne unus est omnium Pater? Et cur injuriam facitis Conditori vestro pejora amando, et meliora amittendo? Ille genus humanum terrenis omnibus praestare voluit, vos dignitatem [852A] vestram infra infima quaeque detruditis. Quanto melius est interius ornari, quam exterius, animam perpetuam splendore polire.

267 **DIS.** Quae sunt animae ornamenta [perpetua]?

MAG. Primo omnium sapientia, cui vos maxime studere cohortor [Ms., suadeo].

DIS. Unde scimus sapientiam esse perpetuam? Et si haec omnia quae ante numerasti, transitoria sunt, cur non et horum scientia pertransit?

MAG. Animam putatis esse perpetuam?

DIS. Non solum putamus, sed etiam certissime scimus.

MAG. Estne sapientia decus et dignitas animae?

DIS. Est vere.--[**MAG.** Quomodo absque sapientia, decore suo, anima feliciter poterit esse perpetua? [852B] Nonne absque ratione est, animam absque decore et dignitate sua esse perpetuam?] Consequens videtur utramque esse perpetuam, animam scilicet et sapientiam. Videtisne quolibet casu saepissime divitias habentem deserere, et omnes saeculi honores multoties minui?

DIS. Videmus itaque ut ne regni quidem potentia perduret [Ms., uti perdurat].

MAG. Quid divitiae sine sapientia?

DIS. Quod corpus sine anima, Salomone dicente: Quid prosunt divitiae stulto, cum sapientiam emere non possit [Prov. XVII, 16]?

MAG. Nonne haec est, quae humilem exultat, et erigit de stercore pauperem, ut sedeat cum principibus, et solum gloriae teneat?

[852C] **DIS.** Est quidem, sed quam speciosa in habendo, tam laboriosa in acquirendo.

MAG. Quis miles sine certamine coronabitur? Quis agricola sine labore abundat panibus? Nonne vetus proverbium, radices litterarum esse amaras, fructus autem dulces? Igitur et noster orator in Epist. ad Hebr. idem probat. Omnis quidem disciplina in praesenti non videtur esse gaudii sed moeroris; postea [vero] pacatissimum fructum exercitatis in ea affert iustitiae.

DIS. Duc, age, quo libeat, sequimur libenter, quia spes praemii solet laborem relevare. Omnis quippe qui arat, in spe arat percipiendi fructus. Fertur itaque, dum Diogenes magnus ille philosophus omnes suos a se expulit discipulos dicens: [852D] Ite, quaerite vobis magistrum, ego vero [inveni] mihi, ei solus Plato adhaesit, et quadam die lutulentis pedibus super exstructum magistri lectulum cucurrit assidere doctori, quem Diogenes baculo ferire minitabatur; cui puer inclinato capite respondit: Nullus est tam durus baculus, qui me a tuo segregare possit lateri. At si [Ms., Si ergo] ille amore saecularis sapientiae flagrans, coelestis vero, quae ad vitam

ducit perpetuam, ignarus, sic ardentem magistrum sequi persistebat, quanto magis nos tua, magister, ingredientem vel egredientem vestigia sequi debemus, qui non solum litterario [Ms., litteratorio] nos liberalium studiorum itinere ducere nosti, sed etiam meliores sophiae vias, quae ad vitam ducit aeternam [853A] [pandere] poteris?

MAG. Divina nos praecedat gratia, et in thesauros spiritualis deducat sapientiae, in qua divinae ubertatis fonte inebriari [possitis], ut sit in vobis fons aquae salientis in vitam aeternam. Sed quia Apostolo praecipiente legimus: Omnia vestra honesta cum ordine fiant, vos per quosdam eruditionis gradus ab inferioribus ad superiora esse ducendos reor, donec pennae virtutum paulatim accrescant, quibus ad altiora puri aetheris spectamina volantes dicere valeatis: Introduxit nos rex in cellaria sua, exultabimus et laetabimur in eis [Cant. I, 3].

DIS. Da dexteram, magister, et nos ab humo imperitiae eleva, et in gradus sophiae nos tecum constitue, in quibus te ex morum dignitate, ex verborum [853B] veritate saepius consistere agnovimus, quo te rerum ratio pulcherrima ab ineunte, ut audivimus, aetate perduxit; et si poeticis licet aures accommodare fabulis, nobis non incongruum videtur, quod asserunt, epulas deorum esse rationes.

MAG. Verius, o filii! dicere potestis, rationes esse angelorum cibum, animarum decorem, quam epulas deorum.

DIS. Quoquo modo haec dici debeant, primos precamur nobis sapientiae ostendi gradus, ut Deo donante et te edocente ab inferioribus ad superiora pervenire valeamus.

MAG. Legimus, Salomone dicente, per quem ipsa se cecinit [Sapientia]: Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem [Prov. IX, 1]. Quae sententia licet ad divinam [853C] pertineat sapientiam, quae sibi in utero virginali domum, id est corpus, aedificavit, hanc et septem donis sancti Spiritus confirmavit: vel Ecclesiam, quae est domus Dei, eidem donis illuminavit; tamen sapientia 268 liberalium litterarum septem columnis confirmatur; nec aliter ad perfectam quaelibet deducit scientiam, nisi his septem columnis vel etiam gradibus exaltetur.

DIS. Tandem aliquando pande quod promisisti, et propter fragilitatem nostrae aetatis nos mollioribus incipe lactare, ut ad solidiora, crescente aetate, facilius perveniamus.

MAG. Divina praeviente etiam et perficiente gratia faciam quod rogastis, vobisque ad videndum ostendam [Ms., ostendero] septem philosophiae gradus, per eosdemque Deo donante et vita [853D] comite pro nostrarum portione virium penes temporis et aetatis opportunitatem ad sublimiora speculativae scientiae deduxero.

DIS. Duc etiam, duc et tandem aliquando de nidulo ignaviae in ramos tibi a Deo datae sapientiae compone; unde aliquod veritatis lumen cernere valeamus: et quos toties promisisti, septenos thearasticas [Ms. forastice] disciplinae gradus nobis ostende.

MAG. Sunt igitur gradus, quos queritis, et utinam tam ardentis sitis semper ad [ascendendum] (Edit.,

discendum)], quam curiosi modo estis ad videndum: grammatica, rhetorica [dialectica], arithmetica, [854A] geometrica, musica et astrologia. Per hos enim philosophi sua contriverunt otia atque negotia. Iis namque consulibus clariores effecti, iis regibus celebriores, iis videlicet aeterna memoria laudabiles: iis quoque sancti et catholici nostrae fidei doctores et defensores omnibus haeresiarum in contentionibus publicis semper superiores exstiterunt.

Per has vero, filii charissimi, semitas vestrae quotidie currat adolescentia, donec perfectior aetas et animus sensu robustior ad culmina sanctarum Scripturarum perveniat. Quatenus hinc inde armati verae fidei defensores et veritatis assertores omnimodis invincibiles efficiamini.

SAXO, FRANCO, DISCIPULI; MAGISTER.

[854B] Fuerunt in schola Albini magistri duo pueri, unus Franco, alter Saxo, qui nuperrime spineta grammaticae densitatis irruerunt. Quapropter placuit illis paucas litteralis [Ms., paucis litterulis] scientiae regulas memoriae causa per interrogationes et responsiones excerpere.

At prior illorum Franco dixit Saxonis: Eia, Saxo, me interrogante responde, quia tu majoris es aetatis. Ego XIV annorum; tu ut reor XV. Ad haec Saxo respondit: Faciam; ita tamen, ut si quid altius sit interrogandum, vel ex philosophica disciplina proferendum, liceat magistrum interrogare.

Ad haec magister: Placet, filii, propositio vestra: et libens annuo vestrae sagacitati. Et primum dicite unde [primum] vestram convenientis disputationem [854C] esse arbitramini incipiendum?

DIS. Unde, domine magister, nisi a littera?

MAG. Bene arbitramini, si non philosophiae memoriam paulo prius fecissetis [Ms., fecissemus]. Unde a voce, cuius causa litterae sunt inventae, inchoandam disputationem constat [Ms., censeo]: vel magis primo omnium interrogandum est, quibus modis constet disputatio?

DIS. Et a te, magister, suppliciter rogamus exponi. Nam nos nescire confitemur quibus modis constet disputatio.

MAG. Tria sunt quibus omnis colloquio disputatioque perficitur, res, intellectus, voces. Res sunt, quae animi ratione percipimus. Intellectus, quibus res ipsas addiscimus. Voces, quibus res intellectas proferimus; cuius causa, [854D] ut diximus [Ms., ut prius dixi], litterae inventae sunt.

DIS. Sed quia disputationis modos dixisti, vocis differentias ut exponas, precamur.

MAG. Quatuor sunt differentiae vocis: articulata, inarticulata; litterata, illitterata. Articulata est, quae copulata atque coarctata cum sensu profertur, ut: Arma virumque cano... Inarticulata, quae a nullo sensu proficitur, ut crepitus, mugitus. Litterata, quae scribi potest; illitterata, quae scribi non potest.

DIS. Unde dicta vox?

MAG. A vocando. Ecce habetis quae interrogastis. Nunc a littera incipite, filii.

FRANCO. Dic Saxo prior, unde littera sit dicta?

SAXO. [855A] Ut reor, littera est quasi legitima, quia legitibus iter praebet.

269 **FR.** Da definitionem quoque.

SAXO. Littera est pars minima vocis articulatae.

DIS. Habet et, magister, alteram definitionem littera?

MAG. Habet, sed in eundem cadentem sensum. Littera est individua, quia sententias in partes, partes in syllabas, syllabas in litteras dividimus. Litterae vero indivisibiles sunt.

DIS. Unde litterae elementa dicuntur?

MAG. Quia sicut elementa coeuntia corpus perficiunt, sic haec conglutinatae litteralem vocem component.

FR. Da, collega, divisionem litterarum.

SAXO. Sunt aut vocales aut consonantes. Item consonantes dividuntur in semivocales et mutas.

[855B] **FR.** Rationem pone singulis divisionibus.

SAXO. Vocales per se proferuntur et per se syllabam faciunt. Consonantes nec per se edici possunt, nec per se syllabam facere.

DIS. Habentne, magister, alteram rationem cur dividantur?

MAG. Habent. Vocales sunt sicut animae, consonantes sicut corpora. Anima vero et se movet et corpus. Corpus vero immobile est sine anima. Sic sunt consonantes sine vocalibus. Nam scribi possunt per se; edici vero vel potestatem habere sine vocalibus nequeunt.

FR. Unde dictae sunt vocales et consonantes?

SAXO. Vocales dictae sunt, quia per se vocem impleant nulla adhaerente consonante. Consonantes vocatae sunt, quia per se non sonant, sed vocalibus [855C] consonant.

FR. Quae est differentia inter semivocales et mutas?

SAXO. Quantum enim a vocalibus superantur semivocales, tantum semivocales superant mutas. Nam a vocalibus incipiunt et in se desinunt: et majori euphonia sonant, et saepius dictiones semivocalibus quam mutis, propter euphonium, id est, sonoritatem, finiuntur. Mutae vero a se incipiunt et in vocales desinunt et deformius sonant.

FR. Ut reor, in Donato legimus, tria accidisse litteris: nomen, figuram, potestatem. De nominibus et figuris non est opus dicere, sed de potestate velim dicas, et primo vocalium.

SAXO. Vocales sunt apud Latinos quinquae. Nam y litteram sextam vocalem, [855D] causa Graecorum nomen, assumpsere Latini, sicut et z consonantem. Itaque vocales et per se, ut dictum est, faciunt syllabas; plenas quoque solae positae explent partes; A, ut:

A mihi non teneras glacies secet aspera plantas !
E, ut:

..... Sitiens simul ebibit amnem.

O, ut:

O si Gallorum victor remeasset in urbem!

I quoque verbum est:

I, decus, i nostrum melioribus utere fatis!

Sed I et U transeunt in consonantium potestatem, [856A] cum in principio syllabae aliis vocalibus junguntur. Ut: janua, vates, jecur, veritas, Jonas, votum. Vel si sibi ipsi anteponuntur, ut: Juno, virgo. Fiunt quoque hae ipsae mediae, quando y Graecae vocalis sonum habent [ut i], quando post u loco consonantis posita [Ed., positae] sequente d, vel m, vel r, vel t, vel x: video, vim, virtus, vitium, vix. U eundem habet sonum, id est y, cum inter q et aliam vocalem, vel post g et aliam vocalem in eadem syllaba [constituitur], ut: quisque, pingue, lingua. Est quoque ubi i pro duabus ponitur consonantibus, ubi inter duas vocales ponitur, ut: Troja, Maja. U quoque loco duplicis digammae in quibusdam locis accipitur, ut cupii, brevis i; Cupivi, longa i. Et ubicunque v loco consonantis ponitur, semper pro digamma habenda [856B] est.

FR. Habentne aliquae ex consonantibus aliquas singulares potestates?

SAXO. Habent. Primo quod unaquaeque suam habet potestatem, sicut et nomen et figuram; sunt aliquae ex illis liquidae, quae et vim consonantium amittunt. Accentus quoque saepe in prosa mutant.

FR. Quae sunt illae?

SAXO. L, R, M, N. Sed et S quoque singularis est potestatis. H quoque aspirationis nota. X vero et Z duplices sunt. Sed has rationes metricae subtilitatis esse reor, in quibus necdum eruditi sumus. Ideo noli me de illis plus interrogare, sed festinemus ad syllabas.

DE SYLLABA.

[856C] FR. Syllaba quid?

SAXO. Vox litteralis sub uno accentu et uno spiritu prolata

270 FR. Quot litteris fiunt syllabae?

SAXO. Ab una incipiens usque ad sex: a, ab, abs, Mars, stans, stirps.

FR. Habet syllaba sensum per se?
SAXO. Non habet, nisi plena dictio per unam syllabam constet, ut ars, do, dic, et alia.

FR. Syllabae quot accidunt [Al., accedunt]?

SAXO. Quatuor: tenor, spiritus, tempus, numerus. Accentus; acutus, gravis, circumflexus; in dictione certus, absque dictione incertus; non potest tamen sine eo esse. Spiritus; asper vel lenis. Tempus I vel II [Ms., unum vel duo]. Numerus litterarum.

FR. Quomodo habet syllaba unum tempus vel duo?

SAXO. [856D] Brevis syllaba unum habet, longa duo.

FR. Quomodo fiunt breves vel longae?

SAXO. Breves fiunt natura et potestate [longae natura et positione]. Brevis est natura, dum raptim vocalis enuntiatur, ut: pater. Longa, dum moratur vox, ut: mater. Vel dum duae vocales in unam concurrunt syllabam, quod diphthongon vocant: et sunt tales compositiones quinque: ae, oe, au, eu, ei.

FR. Unde dicitur diphthongos?

SAXO. Quasi dualis vox. Nam quoties duarum vocalium voces in unam syllabam et in unam vocem coeunt, diphthongos dicitur.

FR. Quot modis fiunt syllabae positione longae?

SAXO. [857A] Sex. Cum correpta vocalis in duas desinit consonantes, ut: ast. Aut in unam duplicem, ut: dux. Aut in unam desinit consonantem et excipitur ab altera, ut: arca. Aut excipitur ab x duplici, ut: axis. Aut j loco consonantis posita, ut: Troja. Aut desinit in consonantem [et] excipitur ab i, vel u, loco consonantis posita, ut: advena, adjutor.

FR. Si [Pro an] necesse est unamquamque syllabam longam esse vel brevem?

SAXO. Sunt syllabae [quae dicuntur] communes. Quae ad votum poetarum possunt vel breves vel longae esse. Sed haec, quia ad metrics pertinent, relinquamus.

FR. Magis interrogemus magistrum, ne ignari simus hujus quoque rationis.

DIS. Dic nobis, magister, qua ratione vel quibus [857B] modis communes possunt esse syllabae?

MAG. Novem modis fiunt syllabae communes. Communes sunt, cum correpta vocalis in medio verbo excipitur a duabus consonantibus, quarum prior muta quaelibet est, vel f semivocalis: posterior liquida, ut: Tenebrae, pharetra, refluit. Aut, cum correpta vocalis in consonantem desinit, excipitur ab h, ut: vir humilis. Aut cum aliqua syllaba in brevem desinit vocalem, et excipitur a duabus consonantibus, quarum prior est s, ut: alba smaragdus. Aut cum post [pedem] (Ms. pedes duos) quemlibet una brevis remanserit syllaba de verbo, ut:

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori

Aut cum pars aliqua in diphthongon desinit, et [857C] excipitur a vocali sequentis verbi, ut: Insulae Ionio... Aut cum productam vocalem in eodem verbo mox alterius syllabae sequitur vocalis, ut: fidei. Aut cum pronomen littera c terminatum est, et a vocali sequentis verbi excipitur, ut: hoc est. Aut cum correptam vocalem in una parte z duplex sequitur, ut: gaza. Item novissima syllaba in metro semper indifferens est, et voluntati poetae subjecta est. Est quoque, quando in tribus consonantibus fit, communis syllaba, dum in brevem vocalem desinit syllaba et excipitur ab s sequente muta et liquida, ut Horat.:

Linquimus insani ridentes praemia scribae.

Plenius haec, vita comite, in metrica ratione vobis, filii, monstravero.

[857D] DIS. Quid vis, magister, an de pedibus et accentibus ordinem Donati magistri sequentes interrogemus?

MAG. Amplius [Ms., Aptius] haec quoque in illa metrorum subtilitate intelligetis. Quia pedes vel accentus, nisi ex brevibus longisque syllabis nequeunt intelligi. Unde ad partes vos [convertite] (Edit., convenite).

DIS. Prius, si placeat, magister, unde grammatica sit dicta vel quod sit ejus officium, pande nobis.

MAG. Grammatica est litteralis scientia, et est custos recte loquendi et scribendi; quae constat natura, ratione, auctoritate, consuetudine.

DIS. In quot species dividitur grammatica?

MAG. [858A] In XXVI. In vocem, in litteras, in syllabas, partes, dictiones, orationes, definitiones, pedes, accentus, posituras, notas, orthographiae [Ms., orthographiam.....], analogiae, etymologiae, glossas, differentias, 271 barbarismum, soloecismum, vitia [Ms., vitium], metaplasmum, schemata, tropos, prosam, metra, fabulas, historias.

DIS. De istis singulis, antequam ad partium tendamus disputationem, aliquam cognitionem edisserere nobis, magister, per singula currens.

MAG. Jam de voce, littera et syllaba in superioribus habuistis. Dictio est pars minima vocis constructae, plenumque sensum habentis. Oratio est ordinatio dictionum, congruam sententiam perfectamque demonstrans: et est oratio dicta quasi oris ratio. Definitio est brevis [858B] oratio, unamquamque rem propria significatione concludens, ut: homo est animal mortale, rationale, risus capax. Scire igitur debetis quod definitio ad omnes disciplinas et res pertinet. Pes est syllabarum compositio et temporum certa dimensio [Ms., dinumeratio]. Pedes dicti, eo quod ipsis [Ms., per ipsos] metra ambulent. Accentus est certa lex et regula ad levandam et comprimendam syllabam. Positurae sunt puncti ad distinguendos sensus. Notae sunt figurae quaedam, vel ad brevianda verba, vel sensus exprimentos: vel ob diversas causas constitutae, ut in Scriptura sacra obelus ÷, vel asteriscus *. Orthographia est recta scriptura, ut puta ad praepositio d accipiat; [at conjunctio t]. Analogia est similitudo comparatio, ut incerta certis probentur. Etymologia [858C] est origo et ratio vocabulorum, ut: a regendo rex, et ab humo homo dicitur. Glossa est unius verbi vel nominis interpretatio, ut: catus, id est, doctus. Differentia est distinctio duarum rerum cum interpretatione, ut: rex dicitur, quia modestus est; tyrannus, quia crudelis est. Barbarismus est una pars vitiose dicta, ut vulgare proverbium est: mlaeae arboris nodo malus cuneus quaerendus est. Soloecismus est oratio vitiose composita. Vitia sunt, quae in eloquiis cavere debemus et sunt VII. Metaplasmum est metrica licentia, vel necessitate immutata regula locutionis. Schemata sunt ornamenta eloquii et habitus, quibus sententiae vestiuntur. Tropus est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem, ornatus necessitatisve [858D] causa. Prosa est recta locutio absque metro et versu composita. Metra vocata sunt, quia certis pedum mensuris terminantur. Fabulae res sunt fictae ludendi causa vel cujuslibet significationis. Historia est narratio rei gestae. Ecce habetis definitiones breves singularum specierum. Nunc ad partes convertite vos.

DIS. Faciemus ut jubes. Attamen singularum partium proprietates prius breviter ut pandas nobis, flagitamus.

MAG. Vestra curiositas modum non habet. Ideoque modum manualis libelli excedere vultis. Proprium nominis est substantiam vel qualitatem vel quantitatem significare: et proprium est [859A] pronominis pro nomine poni proprio et certas significare personas. Verbi vero proprium est actionem vel passionem sive utrumque cum modis et temporibus significare. Proprium adverbii est cum verbo poni, et sine eo perfectam significationem non habere, ut: bene lego. Participii proprium est tempus habere et casus; ideo a quibusdam verbum casuale dicitur. Proprium conjunctionis est cum omnibus partibus modo praeposita, modo postposita jungi et conjungere partes. Proprium praepositionis est anteponi casualibus semper separatim.

DE NOMINE.

FR. Eia age, Saxo, ingrediamur disputationem nominis per ordinem, et primum dic, quid sit nomen?

SAXO. [859B] Nomen est pars orationis, secundum grammaticos, quae unicuique corpori vel rei communem vel propriam qualitatem distribuit; et est nomen dictum quasi notamen, eo quod hoc notamus singulas substantias vel res, communes, ut: Homo, disciplina; vel proprias, ut: Virgilius, arithmetica. Interrogemus tamen, o Franco, magistrum philosophicam definitionem nominis.

MAG. Nomen est vox significativa secundum placitum, sine tempore, definitum aliquid significans in nominativo, cum est aut non est, ut: homo est, homo non est. In [aliis] casibus licet addas est vel non est, nihil tamen certum significat, si non apponas quid sit vel quid non sit. Ut: hominis est, hominis non est. Secundum placitum, id est compositionem [859C] singularum gentium sunt nomina 272 composita, ut quod Latine dicis aurum, hoc Graece dicitur. Una est substantia, sed diversa nomina.

FR. Quot accidunt nomini?

SAXO. Sex, secundum Donatum: qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus. Secundum Priscianum, quinque; quia ille qualitatem et comparisonem simul, species nominavit, quia sunt omnia nomina propriae speciei, vel appellativae: principalis vel derivativae. Propriae, ut: Julius. Appellativae, ut: Mons. Principalis, ut: Julius, Mons. Derivativae ut: Julianus, Montanus. In quibus, id est [Ms., idem] derivativis comparationes nominum impositi.

FR. Propriorum nominum species quot sunt?

SAXO. [859D] Quatuor: praenomen, nomen, cognomen, agnomen. Praenomina sunt, quae dignitatis vel differentiae causa propriis nominibus praeponuntur, ut: Anicius Boetius: Anicius a nobilitate et libertate generis dicitur. Differentiae, ut Lucius Cornelius et Publius Cornelius. Notanturque praenomina vel singulis litteris vel binis vel ternis. Singulis, ut: M., Marcus. Binis, ut: Cn., Cneus. Ternis, ut: Sex., Sextus. Nomen est unius cujusque proprium, ut: Paulus. Cognomen est cognationis vel familiae commune nomen, ut Scipio. Nam ab ejus nomine omnis cognatio illa sic dicebatur. Agnomen, quod ab aliquo

eventu sic dicitur, ut: Africanus, quia Africam vincebat [F., vicerat].

[860A] FR. Appellativorum species quot sunt?

SAXO. Multae sunt: alia corporalia, ut: homo, terra, mare. Alia incorporalia, ut: pietas, dignitas, iustitia. Alia principalia, ut mons, schola. Alia derivativa, ut montanus, scholasticus. Alia comparativa, ut fortior, fortissimus. Alia denominativa, ut sanctus, sanctitas; sapiens, sapientia. Alia diminutiva, ut rex, regulus. Alia homonyma, ut nepos, acies. Alia synonyma, ut gladius, ensis, mucro. Alia adjectiva, quae possunt in laude vel vituperatione poni, ut justus homo, injustus homo. Alia in medio posita, ut magnus. Dicimus magnus imperator, et magnus latro. Haec et accidentia saepe fiunt, ut niger corvus, altum mare. Alia ad [aliquid dicta (Edit., ad aliud)] ut filius servus. Dicendo [enim] filium et servum, patrem significamus [860B] et dominum. Alia quasi ad aliquid, ut dies, nox; dextera, sinistra. Nam quamvis unum horum intereat, potest tamen alterum manere. Non sic de filio et de servo. Alia sunt gentem significativa, ut Graecus, Hispanus: alia patriam, ut Romanus, Thebanus. Alia interrogativa, ut qualis, quantus, quot? cum suos servant accentus. Alia relativa, ut tantus, talis, tot. Alia collectiva quae in singulari numero multa significant, ut populus, plebs. Alia dividua, ut bini, terni, centeni. Alia factitia, id est, de sono facta, ut tintinnabulum, turtur, clangor. Alia sunt generalia, quae in diversas species possunt dividi, ut animal, arbor. Alia specialia, ut homo, vitis. Alia ordinalia, ut primus, secundus. Alia numeralia, ut unum, duo, tres. Alia absoluta, ut Deus, ratio. Alia temporalia, [860C] ut mensis, annus. Alia localia, ut propinquus, longinquus. Alia patronymica [Ms., patrimonica], ut Scipiadus a Scipione, Thesides a Theseo. Haec saepe ab avis fiunt et a conditoribus, ut Iliades, Aeneades. Sunt alia possessiva, quae aliquid ex his significant quae possidentur, ut Evandrius ensis, et regius honor. Haec cum genitivo principali interpretantur [Ms., Haec genitivo principali deserviunt], ut Evandri ensis et regis honor. Sunt et aliae species, quas Donatus ponit, sed illae in his reperiuntur, ut qualitas et quantitas. In adjectivis et accidentibus inveniuntur bonus, magnus [et] mediae sunt significationis.

FR. Comparationes nominum unde veniunt?

SAXO. A nominibus adjectivis et accidentibus alicujus substantiae, qualitatem vel quantitatem animi significantibus [860D] vel corporis, quae possunt vel incrementa vel detrimenta sumere. Homo vel lapis, substantia est. Homo prudens et prudentior; lapis magnus et major dicitur. Et semper comparativus communis est generis, ut hic et haec prudentior. Et neutrum in ius, ut hoc prudentius, facit. Invenitur et comparativus pro positivo poni, ut Virgil. (Aen. V, 301):

... Comites senioris Aestae,
pro senis. Est quando minus positivo singulari [Ms., positivum singularem] significat, et nulli comparatur ut Virgil. (Aen. I, 322):

Tristior atque oculos lacrymis suffusa nitentes.

Tristior hic ex parte significat tristem. Fiunt et a [861A] comparativis diminutiva, ut majusculus, minusculus; sed non absolute [Ms., absolutae] 273 ut caeterae diminutiones, sed ad aliquid respiciunt, ut Terent. (Eunuch. III, 3, 21):

Thais paulo, quam ego sum, majuscula est.

FR. Cujus generis superlativus fit [Ms., sit]?

SAXO. Superlativus mobilis est per tria genera. Prudentissimus, a, um.

FR. Superlativorum quot sunt species?

SAXO. Octo: simus, rimus, in quas pleraque desinunt superlativa: limus, ximus, timus, tremus, imus, nimus, ut sanctissimus, pulcherrimus, simillimus, maximus, ultimus, extremus, [primus] minimus; e longam, dum ubique i penultima corripitur, praeter, primus [861B] et imus.

FR. Comparativus et superlativus quibus junguntur casibus?

SAXO. Ablativo utriusque numeri jungitur comparativus, ut, Hector fortior Diomedes fuit, et audacior Trojanis. Superlativus genitivo plurali, ut, Hector fortissimus Trojanorum fuit. Invenitur et [in] singulari jungi [genitivo (Ed., generi)] cum ipsum singulare nomen multitudinem significat, ut, Hector fortissimus est Trojanae gentis. Est, quando superlativus per se ponitur et nulli comparatur; sed tum pro valde adverbio accipiendus est; ut: fortissimus fuit Hercules, id est, valde fortis.

FR. Memini te, Saxo, dixisse quod aliqua nomina appellativa essent diminutiva. Num a propriis nominibus possint fieri diminutiva?

SAXO. Possunt, ut [861C] a Sergio Sergiolus; ab Antonio, Antoniaster.

FR. Quot modis diminutiva fiunt?

SAXO. Tribus modis. Aut necessitatis causa, ut a rege regulus, hoc est, parvus rex, ut Sallust. Postquam reguli coire [Ms., convenere] in unum. Aut urbanitatis causa, ut Juvenalis (Sat: 98):

.... Malim fraterculus esse gigantum.

Aut adulationis causa, ut [in puerulis dicitur Sergiolus (Edit., pueris Sergiolis)].

FR. Formae igitur diminutivorum quot sunt?

SAXO. Masculini generis XI: culus, ulus [Ms., illus], olus, ellus, xillus, illus, ulus, cio, aster, [Ieus, tulus]. Ut: Agniculus, tantulus [Ms., tantillus], capreolus, agnellus, pauxillus, codicillus, homulus, homuncio, parasitaster, aculeus, nepotulus.

[861D] Feminini generis VII: cula, ula, ola, ella, xilla, illa, ulla. Ut: Agnicula, sylvula, unciola, capella, maxilla, anguilla, ulla.

Neutorum VII sunt formae. Culum, ulum, olum, ellum, illum, xillum, ullum. Ut: Corpusculum, capitulum, laureolum, lucellum, villum, vexillum, ullum.

Fiunt et diminutivorum diminutiva tertio et quarto gradu, ut: Paulus, Paululus; et pauxillus, et pauxillulus; homo, homuncio, homunculus, homulus, homullulus.

Ecce, France, de appellativis speciebus habes abunde, ut reor, licet nullus tuae aviditati possit satisfacere.

[862A] FR. Non sum tam avidus quam tu invidus, qui nulla vis aperire, nisi interrogatione coactus.

SAXO. Interroga quae vis: ego non ero segnus respondere.

DE GENERIBUS.

FR. Nunc, ut aestimo, ordo accidentium nominis poscit a generibus inquirere. Unde genera dicta sint, primo velim scire.

SAXO. Genera dicta sunt a generando. Quapropter proprie genera sunt, quae generare possunt: id est, masculinum, femininum. Nam neutrum et commune magis vocis qualitate, quam natura dignoscuntur. Epicoena promiscua sunt, et sub una voce profertur [Ms., proferunt] masculinum et femininum.

FR. Quid est inter commune et epicoenum?

SAXO. [862B] Quod commune modo masculino, modo feminino articulo, prout constructio orationis eget, jungitur. Epicoenon semper uno articulo profertur, et utriusque naturae animalia una voce et uno articulo significat.

FR. Num omnia nomina certi sunt generis?

SAXO. Nequaquam. [Multa enim dubii generis.]

FR. Unde sunt dubii generis nomina? forte differentiae causa?

SAXO. Non differentiae, nec aliqua necessitatis causa, sed sola auctoritate veterum, ut: hic et haec finis, cortex, silex, margo, cardo, fornax, [cinis,] frutex, frons, vesper, humus, artus, limes [Edit., arcus, limus], latex. Hic et hoc sal. Cato: Ex sale, qui apud Carthaginenses fit. Africanus: [862C] Quidquid loquitur, sal merum [Ed., verum] est.

274 FR. Quae sunt fixa nomina?

SAXO. Quae in alterum genus transire non possunt, ut, pater et mater.

FR. Quae sunt mobilia?

SAXO. Quae moveri possunt et in aliud transire genus. Alia ex propriis nominibus, ut: Marcus, Marcia. Alia ex appellativis, ut: Bonus, bona, bonum.

FR. Quot litteris masculina finiuntur nomina?

SAXO. Septem: a, o, i, n, r, s, x; ut: scriba, Cicero, sol, flumen [Ms., flamen], Caesar, bonus, rex.

FR. Feminina quot?

SAXO. Eisdem, ut: Roma, virgo, Tanaquil, Siren, mater, civitas, pax.

FR. Neutra quot?

SAXO. Duodecim, a, e, i, u, l, m, n, r, s, c, t, d; ut: Poema, mare, gummi [862D] cornu, mel, regnum, numen, tuber, sidus, lac, caput, aliquid. [Communia, uti trium generum, desinunt in i, m, r, s, x; ut: hic et haec et hoc frugi, nequam, par, prudens, auda.]

FR. Quomodo possum scire cujus generis sit nomen quodlibet.

SAXO. Singulae vero terminationes habent regulas praefixas, quot genera

possint in eis esse. Sed longum est hoc et huic nostrae puerili disputationi onerosum edicere.

FR. Hoc est, quod pridem dixi.

SAXO. Quidnam?

FR. Quid? nisi quod invides meae peritiae.

SAXO. Nequaquam, frater; sed tuae avaritiae modum imponere volui.

[863A] FR. Modum meae avaritiae et non tuae tenacitati imponere vis.

SAXO. Eia, perge, quo velis sequar te.

FR. Pergam interrogando, tu sequere respondendo. Et primum dic in quo sit maxima nominis difficultas?

SAXO. In generibus et declinationibus.

FR. Declinatio in quo agnoscitur?

SAXO. In terminatione genitivi casus.

FR. Quot sunt terminationes genitivi casus?

SAXO. Quinque. Atque ideo quinque sunt nominum declinationes.

FR. Dic singulas.

SAXO. Prima in ae, ut: hic poeta, hujus poetae. Secunda in i, ut: hic doctus, hujus docti. Tertia in is brevem, ut: hic pater, hujus [863B] patris. Quarta in us productam, ut: hic senatus, hujus senatus. Quinta in ei divisas, ut: hic dies, hujus diei.

FR. Nomina in a [finita] cujus generis vel declinationis sunt?

SAXO. Omnia [nomina], si Latina sunt, primae [declinationis sunt] et trium generum, masculini, feminini, communis.

FR. Discerne quae pertineant ad hoc vel illud genus. **SAXO.** Hominum nomina in a desinentia masculini sunt generis, ut: Sylla, Seneca. Aliarum vero rerum propria feminina sunt, ut: Roma, Iliia [Ms., Italia], curia. Et omnia appellativa feminini fiunt [Ms., sunt] generis, ut: regina, iustitia: nisi haec quae ad officia virorum pertinent, ut: lixa, scriba, collega, et quae a Graecis sumpsimus mutatione s finatis [863C] in a, ut poetas, citharistes; nos poeta et citharista dicimus: et quae a verbis composita sunt, vel derivativa sunt, communia sunt, ut: hic et haec agricola, rurigena, advena, patricida, conviva, et his similia.

FR. Aliarum prosequere vocalium regulas.

SAXO. Faciam. In e omnia tertiae declinationis et neutri generis, ut: hoc monile. In i neutrum; hoc gummi. In o finita omnia tertiae sunt declinationis, sed diversi generis. E antecedente o masculina propria sunt, ut: Labeo, ganeo, aleo. I antecedente o, quando sunt verbalia, feminina sunt, ut: oratio, actio, conjugatio, etc. G vel d praepositis o, si mutatur o in i in obliquis casibus, feminina sunt, ut: [863D] virgo, uligo, dulcedo, cupido, quod et masculinum est, quando proprium est. Excipiuntur: hic, ordo, cardo, mango, margo, praedo, cudo, spado; et communia, ut: homo, latro.

Item: duo, ambo, octo, pondo communia [sunt]. Et Juno et caro feminina [sunt]. Alia omnia masculina sunt, ut: stellio, Cicero, carbo, sermo. In u neutra sunt et quartae

declinationis, ut: cornu, genu, gelu. Et sunt aptota in singulari numero.

FR. Placet quod dicitur, licet III [Al., VI, seu vi, id est violenter] dicas. Sed consonantium regulas pande per te, me tacente et probante.

SAXO. Fiat. In c neutra duo, ut: Lac, alec. In d neutra, ut: quid, quod, aliud; quae nomina esse multis modis ratio probat. In al, 275 si Latina, neutra sunt, ut: tribunal, [864A] vectigal et sal, quod masculinum et neutrum invenitur. Si barbara fiunt, masculina sunt, ut Annibal, etc. In el neutra. Mel, fel. In il unum masculinum, pugil; unum femininum, Tanaquil. Unum commune, vigil. Unum neutrum indeclinabile, nihil. In ol unum masculinum, sol. In ul finita duo masculina, consul, praesul. Unum commune, ut: exsul. In am unum commune, ut hic et haec et hoc nequam. Et haec omnia iuxta tertium flectuntur ordinem [Al., tertiam... declinationem]. In um omnia neutra sunt et secundae declinationis, ut templum, templi. In en novem sunt masculina: lien, rien, flamen, pecten, tibicen, fidicen, liticen, tubicen, cornicen; caetera omnia neutra sunt, ut carmen, flumen; et omnia tertiae declinationis. In ar finita sunt tertiae declinationis [864B] et neutralia, ut torcular, pulvinar. Exceptis: hic [Al., his] Caesar, Jar, et Nar, fluvii nomen: et communis generis, ut hic et haec et hoc par, et quae ex eo composita sunt: impar, dispar, compar. In er finita, exceptis: haec mater, haec mulier: et his neutris, Juber, papaver, [tuber,] cadaver, laser, siler, iter, cicer, siser; et communibus his, [pauper (Ed., paucis)] uber, celer, alia omnia masculini sunt generis; alia secundae, alia tertiae declinationis, quorum declinatio facile ex obliquis casibus intelligi potest. Et ideo de declinationum diversitate minime laborandum censeo.

FR. Fac ut placet. Ex me enim possum declinationes, ut dixisti, experiri.

SAXO. In ir unum masculinum, hic vir; et ex eo composita, ut, semivir, [864C] duumvir, levir [Al., laevir]. Et unum neutrum, ut hoc ir [medietas palmae] indeclinabile: et sunt secundae declinationis. In or desinentia sequuntur formam tertiae declinationis, et sunt masculina, propria vel appellativa, ut: Hector, orator, furor, doctor: exceptis tribus femininis, soror, uxor, arbor: et neutris his: Ador, marmor, aequor, ebor, olor, femor, cor: et commune, hic et haec auctor, discolor, concolor: hic et haec memor et immemor; et omnia comparativa or finita communis sunt generis, ut hic et haec doctior, melior; excepto uno, hic senior. In ur unum secundae [declinationis] invenitur: hic satur et facit satura feminino. Masculina vero, hic astur, turtur, vultur. Communia, ut hic et haec augur et fur. Alia omnia neutra sunt, ut guttur, sulphur, murmur, [864D] jecur; et tertiae declinationis. In as terminata feminini sunt generis, ut haec dignitas, pietas, exceptis, hic as, assis, mas, maris, vas, vadis; et hoc vas vasis: et hoc fas et nefas et omnis generis nugas [Al., nugax]; et omnia tertiae declinationis. Sed inveniuntur propria primae declinationis, ut hic Aeneas, Lysias. Et tertiae quoque [declinationis] patriae nomina, hic Mycenae, Capenae, Arpinas. In es correptam terminata, si naturaliter de mare et femina significatio potest esse, communia fiunt [Al., fiunt], ut hic et

haec hebes, id est, tardus. Sic teres, comes, dives, sospes, hospes, praeses, deses, obses, superstes, quadrupes, sonipes. Alia vero omnia, id est, quae nullam naturalem communionem [Al., naturam communem] [865A] cum feminis habent, masculina sunt, ut stipes, limes, fomes, cespes [meridies]; exceptis in ges syllabam desinentibus, e in genitivo servantibus, ut haec seges segetis, teges et abies: et omnia tertiae sunt declinationis. Alia in es productam desinentia, si propria fiunt, masculina erunt, ut Hercules, Ulixes, et verres appellativum, cum porcum significat: et communia, ut haeres, locuples. Alia vero omnia feminina sunt: quaedam tertiae, ut caedes, strages, vulpes, apes; quaedam vero quintae [declinationis], ut facies, effigies, spes, res, fides: et omnia in es purum finita quintae sunt declinationis, praeter quies, abies, paries: et omnia consonante praecedente tertiae sunt declinationis, praeter, spes, fides, res. In is [terminata] omnia tertiae declinationis sunt: sed in [865B] is, terminata, si n vel c ante is habent, vel si una syllaba supercrescunt in genitivo, omnia masculina sunt, ut hic panis, piscis; hic lapis lapidis: exceptis: haec bipennis, et haec cuspidis, cassis cassidis, hic et haec canis. Inveniuntur quoque pauca, licet his regulis non subiaceant, masculina, ut hic fustis, ensis, postis, anguis, unguis, collis, follis, corbis, vectis, mensis, torquis, axis, orbis. Si fiunt vero adjectiva vel derivativa vel ad homines solos pertinentia, semper communia fiunt, ut hic et haec fortis, suavis, dulcis, exsanguis, exanimis, civis, hostis, aedilis: alia 276 omnia feminina sunt, ut, haec avis, classis, cutis; et tertii ordinis [id est, declinationis] cuncta. In os feminina tria, cos, dos, glos. Communia quinque, custos, sacerdos, bos, compos, impos. Neutra duo, os [865C] oris, os ossis. Alia omnia masculina, mos, flos, ros, nepos, lepos: et tertiae declinationis omnia. Us tam multiplex est in generibus et declinationibus, ut nullatenus tibi, o France, sub angustia hujus nostri lusus ejus possim pandere diversitates. Nam trium declinationum est, secundae, tertiae, et quartae. Generis quoque masculini, feminini et neutri, communis et omnis et epicoeni.

FR. Pande tamen aliquas de eo regulas. [Nam] saepe, dum solem non habemus, ad effugandas nocturnas tenebras, laternis utimur.

SAXO. Ergo in us masculini generis propria vel appellativa, mobilia vel fixa, secundae sunt declinationis. Propria, ut Terentius Terentii; Marcius Marci. Mobilia, ut bonus boni; sanctus sancti. Fixa, campus campi, hortus [865D] horti, fumus fumi. Et tria feminina: haec colus, alvus, humus: item feminina arborum nomina secundae sunt [declinationis], haec pirus, prunus, pinus, fagus fagi, etc. **Item** neutra tria: hoc vulgus, virus, pelagus. Alia neutra in us finita omnia tertiae sunt declinationis, ut jus, juris: [thus], munus, pondus, corpus, pectus. In us productum feminina, omnia tertiae sunt [declinationis], et una syllaba in genitivo accrescunt: ut salus salutis, tellus telluris; u producta in obliquis, excepto palus paludis, Venus Veneris; et uno [Edit., unum] omnis generis, ut hic et haec et hoc vetus veteris; et paucis communis generis, ut hic et

haec ligus liguris; grus gruis; sus suis: et epicoenon, mus muris; et uno masculino, [866A] ut lepus leporis. Igitur quartae declinationis feminina haec tantum sunt: anus, manus, porticus, tribus, domus, nurus, socrus, quercus. Quae vero a verbis vel nominibus participialibus [Ms., principalibus] veniunt, masculina sunt, et quartae declinationis: ut hic status, hujus status, a sto; hic ductus, a duco; consulatus, a consule; tribunatus, a tribuno. **Item** s vel x antecedentibus us masculina et quartae declinationis sunt; ut risus, metus, sexus. **Item** penus, et specus tam masculina quam feminina, et neutra. Invenitur etiam secundae, tertiae et quartae declinationis. Invenitur etiam in usu: [hic et haec acus] et hoc acus, hujus acris, purgamentum frumenti. Pus et virus indeclinabilia sunt.

In x litteram, quacunque vocali vel consonante [866B] antecedente eam, omnia tertiae sunt declinationis, sed diversorum generum. Ut tamen breviter dicam, omnia accidentia x littera finita, communia sunt, ut hic et haec et hoc audax, aurifex, velox. **Item** appellativa ad utrumque sexum hominum pertinentia communia sunt, ut hic et haec conjux, dux. Quae vero ad solos mares pertinent, masculina sunt, ut rex: et quae ad solas feminas, feminina sunt, ut pellex. Propria masculina sunt, ut hic Ajax, Pollux. **Item** quae una syllaba accrescunt in genitivo masculina sunt, ut hic vertex, apex, [varix] latex, cortex, codex, pollex, calix, fornix, et reliqua. Feminina vero sunt haec, fornax, silex, ilex, carex, salix, radix, cornix, filex, meretrix, cicatrix, velox. **Item** omnia verbalia feminina sunt, ut victrix, genitrix, [866C] nutrix [Al., natrix, quod et masculinum est]. **Item** monosyllaba omnia feminina sunt; ut pax, lex, pix, nox [Al., nux], lux, arx, falx: excepto rex et hic grex, et hic et haec dux. In t finitum unum invenitur neutrum, ut caput: et ex eo composita, sinciput, occiput.

Quae nomina in duas desinunt consonantes, si sint [Al., fiunt] accidentia, trium generum omnia, ut hic et haec et hoc expers, prudens, inops, coelebs, princeps, parens. Pauca masculina, ut Mavors, Aruns. Pauca feminina, ut hiems, cohors, adeps. Monosyllaba in duas desinentia consonantes maxime feminina sunt, ut ars, fors, gens, mors, lens, frons, pars, sors, scrobs, styps, trabs, urbs, puls. Exceptis: hic mons, pons, fons, dens, Mars. In aus, feminina: laus, [866D] fraus. In aes, masculinum, ut praes praedis. Neutrum, ut aes aeris. Vix tandem aliquando fenore me solvebam gravissimo.

FR. Sed gratissimo. Quapropter ad numeros transeamus.— **SAXO.** Fiat.

277 DE NUMERO.

FR. Numerus quid est?

SAXO. Dictionis forma, discretio quantitatis [Al., distinctionis forma, quantitas discretionis].

FR. Numeri nominum quot sunt?

SAXO. Duo. Singularis, ut homo. Pluralis, ut homines. Sed singularis numerus finitus est; pluralis infinitus est. Cum dico homo, certum est, unum me significasse. [867A] Cum homines dico, incertum est de quot, nisi addam,

decem, centum, mille, vel quotlibet: nam a duobus ad innumerabiles extenditur significatio.

FR. Quae dictiones habent numeros?

SAXO. Quae personas habent: id est, nomina, pronomina, verba, participia. Ut, vir, viri. Ego lego, nos legimus. Hic legens, hi legentes. Ideo [autem] infinita verba et impersonalia carent numero, quia non habent personas.

FR. Nunquid adverbium non habent numeros?

SAXO. Habent: sed inter accidentia adverbii numerus non ponitur: et indeclinabiles sunt numeri adverbiorum: et ad singularem et [ad] pluralem dictionem aequae ponitur, ut: ter feci, ter fecimus.

FR. Quid tum interest inter numerorum nomina [867B] indeclinabilia et inter adverbium?

SAXO. Quod adverbium et singularibus et pluralibus similiter junguntur. Ut: millies dixi, et millies diximus. Nomina vero non nisi pluralibus, ut, mille homines diximus.

FR. Suntne aliqua nomina quae una litteratura utrosque habent numeros?

SAXO. Sunt. Nam in prima declinatione [genitivus et dativus singulares] [Ed., generis dativi singulares] una voce cum nominativo et vocativo plurali proferuntur: ut hujus et huic poetae, [ut hi et o poetae]. Et in omnibus hoc idem invenies declinationibus saepissime. In secunda: ut hujus docti et hi docti. Tertia, haec caedes, et hae caedes. Quarta, hic fluctus et hujus fluctus: hi et hos et o fluctus: us producta in omnibus his casibus. Quinta, ut, haec res, et o res: hae et has et o res. In [867C] pronomibus quoque et participiis invenies voce communia, ut illi, isti, ipsi, dativi singularis et nominativi pluralis. In participiis mobilia omnia in eadem voce habent feminina in singulari nominativo et neutralia in plurali, ut haec victura femina, et haec victura animalia. In verbis vero nulla vox est quae eadem possit esse in singulari numero et plurali.

FR. Unde aliqua nomina, sicut in Donato legi semper singularia sunt, et alia semper pluralia?

SAXO. Natura, vel usu. Natura, ut propria, quae naturaliter individua sunt, ut Hector, Achilles; sol, luna, Italia, Sicilia. Usu, ut sanguis, pulvis, lux, vita. **Item** quae ad pondus vel mensuram pertinent, singularia sunt, ut aurum, triticum, etc. Similiter natura vel usu quaedam sunt semper pluralia: natura, ut Gemini, [867D] pisces, in coelo. Usu, ut arma, moenia, nundinae, Kalendae. Nam per omnia genera invenies quaedam semper singularia, quaedam semper pluralia, quae studio brevittatis nobis praetermittenda esse reor.

DE FIGURIS.

FR. Fiat ut vis, etsi non libens, tamen consentio. Sed de figuris disputemus. Et primo dic quid sit inter figuratas dictiones et derivatas?

SAXO. Quod figuratae dictiones aut simplices sunt, ut magnus; aut compositae, ut magnanimus. Derivatae autem a simplici nomine derivantur, ut a pio pietas; aut a composito, ut a magnanimo

magnanimitas, quae decomposita dicuntur. Composita [enim] intelligibilia semper, [868A] [et] solubilia debent esse in integras dictiones; sive ex integris, sive ex corruptis componantur, ut respublica; ex duobus corruptis, ut, parricida, ex parente nomine, et caedere verbo. Magnanimitas [Edit., magnanimus] si dico, a magno et animitate esse compositum non potest esse, quia animitas [Ms., nimitas] intelligibile non est: ideo necesse est ut a composito, id est magnanimo, sit derivatum magnanimitas.

FR. Quot modis componuntur nomina?

SAXO. Quatuor. Ex duobus integris, ut jusjurandum. Ex duobus corruptis, ut parricida. Ex integro et corrupto, ut inimicus. Ex corrupto et integro, ut efferus.

FR. Cum quibus partibus componuntur nomina?

SAXO. Cum omnibus praeter interjectionem. Cum nomine [868B] [Edit., nominibus], ut paterfamilias. Cum pronomine, ut illiusmodi. 278 Cum verbo, ut Lucifer. Cum adverbio, ut satisfactio. Cum participio, ut plebiscitum. Cum conjunctione, ut uterque. Cum praepositione, ut perfidus.

FR. A quot dictionibus componuntur nomina?

SAXO. A duabus, ut septentrio. A tribus, ut inexpugnabilis. Vel a compluribus [Ms., ab amplioribus], ut cujuscunquemodi.

FR. Quomodo declinantur composita nomina?

SAXO. Si ex nominativo et obliquo casu componuntur, ea parte qua nominativus casus est, declinantur [nam alter casus non declinatur], ut hic tribunusplebis, hujus tribunusplebis, huic tribunusplebis. Si ex duobus nominativis, utrinque declinantur, ut hoc jusjurandum, [868C] hujus jurisjurandi, huic jurisjurando. Sin ex duobus obliquis componuntur, manent, indeclinabilia, ut hujusmodi, istiusmodi, ejusmodi. Componuntur quoque singularia cum pluralibus, ut orbis terrae et orbis terrarum. Possunt tamen haec eadem composita etiam separata esse, si diversus accentus his dederis, ut res publica, vel si conjunctionem interponas, ut tribunusque plebis.

FR. Accentus compositae figurae quomodo fiunt?

SAXO. Per omnes casus et per omnes compositiones semper sub uno accentu proferuntur, ut jusjurandum, jurisjurandi, cujuscunquemodi. Verte te, France, ad casus, quia de figuris habes quod quaesisti.

FR. Vertam, et laetus vertam, quia placitas mihimet rationes protulisti de figuris.

DE CASIBUS. Primo mihi explana unde casus dicatur.

SAXO. Casus utique a cadendo dicitur, quia ab hoc sensu cadit in illum, vel ab hac terminatione cadit in illam.

FR. Scio sex esse casus; sed singulorum interpretationes velim pandere te, o Saxo.

SAXO. Bene vis. Primus nominativus, quia per ipsum nominatio fit. Iste dicitur et rectus, quia primus a natura nascitur, et ab eo facta inflexione nascuntur alii. Deinde genitivus, quia per ipsum genus significamus, ut genus est Priami Hector. Iste quoque appellatur possessivus, eo quod possessionem semper per ipsum significamus, ut, Priami regnum. Post hunc datus est, [869A] qui a dando dicitur, significans aliquid nos dare, ut, do tibi illam rem; qui et mandativus [Ms., commendativus] dicitur, ut, commendo homini illam rem. Quarto loco est accusativus, qui et causativus, ut, accuso hominem. Tum vocativus, qui et salutativus vocatur [Ms., saluatorius dicitur], ut o Aenea, et salve Aenea! Novissime ablativus ponitur, qui et comparativus, significans aliquid absumi vel comparari: ut, aufero ab Hectore gladium; et, fortior Hectore Achilles est.

FR. Ordinem quoque, cur sic positi sint, profer.

SAXO. Nominativus primum sibi locum usurpat, quia primum natura hunc protulit. Genitivus secundum, quia naturale vinculum generis possedit, omnesque obliquos generat. Dativus tertium, quia magis amicis [869B] convenit. Accusativus quartum, quia ad inimicos saepius profertur. Deinde vocativus, quia imperfectior est aliis sensu: et ad secundam solummodo pertinet personam, dum alii casus ad omnes personas junguntur, ut, ego homo sum, tu homo es, ille homo est. Mei, tui, illius hominis est. Mihi, tibi, illi homini da. Me, te, illum hominem accuso. A me, a te, ab illo homine hoc protuli. Solus vocativus dicit: o homo veni. Sed ablativus, qui novissime repertus est, novissime ponitur.

FR. Num omnia nomina per omnes casus declinari possunt?

SAXO. Non possunt, quia sunt nomina quae nominativum solum habent, et dicuntur aptota, ut fas, git, pus, ir. Sunt quae nominativum non habent, ut, Jovis, Jovi, Jovem, a Jove. Sunt alia [869C] in quibus tres tantum obliqui inveniuntur; frugi, frugem, a fruge. Alia, in quibus duo, ut vicem, a vice. Alia, in quibus unus, ut sponte, caepe.

FR. Quot formae casuales sunt?

SAXO. Sex sunt nomina monoptota, quae una terminatione pro omni casu funguntur, ut gummy, nequam. Sub qua regula sunt etiam nomina litterarum et numerorum a quatuor usque ad centum. Diptota sunt, quae duos casus diversos habent, ut sors, a sorte: vel omnes duabus tantum diversitatibus discretos, ut cornu omnes casus habet in brevem [Ms., habent, tres in brevem u, et tres in longum u]. Alia triptota, qualia sunt neutra in secunda declinatione, quae tres diversitates 279 casuum habent, ut templum, templi, templo, et omnia [869D] neutra pluralia per omnes declinationes, sidera, siderum, sideribus. Alia tetrapkota, qualia sunt omnia in r [Ms., er] desinentia secundae declinationis, ut puer, pueri, puero, puerum. Alia pentapkota, qualia sunt masculina secundae declinationis in us finita, ut doctus, docti, docto, doctum, docte. Hexapkota sunt, quae sex diversos habent casus, ut est: unus, unius, uni, unum, une, ab uno.

FR. Ne sit tibi onerosum singulorum casuum terminationes per omnes quinque declinationes mihi exponere.

SAXO. Longiorem me facis multis interrogationibus.

FR. Quid si utiliore in necessariis regulis?

SAXO. Primae declinationis genitivus et datus in ae diphthongon: accusativus in am. Vocativus [similis [870A] nominativo] et ablativus in a [longam] desinunt. Ut hic poeta; genitivus, hujus poetae; datus, huic poetae; hunc poetam; o poeta, ab hoc poeta. Nominativus et vocativus pluralis in ae [diphthongon]. Genitivus in arum. [Accusativus in as.] Dativus et ablativus in is (nisi sit discernendi generis causa, ut ababus, filiabus, natabus, equabus) hi poetae, horum poetarum, his poetis, hos poetas, o poetae, ab his poetis.

Secundae declinationis genitivus in i desinit. Dativus et ablativus in o productam. Accusativus in um, nisi sint neutra, quorum accusativus ubique sequitur suum nominativum, seu in singulari numero, seu in plurali. Vocativus similis est nominativo in illis omnibus [Ms., nominibus] quae in m vel r desinunt; si vero in ius nomina desinunt propria, vocativus [870B] in i, ut Virgilius, Virgili [finit]. Si [autem] nominativus in us, vocativus in e desinit: ut hic magnus, magni, magno, magnum, o magne, a magno. Nominativus et vocativus plurales, nisi in neutro, per i finiuntur. Genitivus in orum [Ms., in rum]. Dativus et ablativus in is, accusativus in os. Hi magni, magnorum, magnis, magnos, o magni, a magnis.

Tertiae declinationis genitivus in is. Dativus in i. Accusativus in em; in paucis in im, ut, turrin, sitim [restim, puppim]: vocativus smilis est nominativo. Ablativus in quibusdam per e correptam, ut: a patre: in quibusdam per i; ut, Tiberi [Ed., Liberi]. In quibusdam per e et i, ut, a felice et felici. Hic rex, regis, regi, regem, rex, a rege. Nominativus et accusativus [et vocativus] plurales in es productam. In paucis [870C] accusativus [F., nominativus] in is, ut turrin. Genitivus in um, in quibusdam in ium, ut turrinum. Dativus et ablativus in bus, ut, hi reges, regum, regibus, reges, o reges, a regibus.

Quartae declinationis genitivus singularis in us productam. Dativus in ui. Accusativus in um. Vocativus similis est nominativo. Ablativus in u productam. Ut, hic senatus, hujus senatus, huic senatui, hunc senatum, o senatus, ab hoc senatu. Nominativus et accusativus et vocativus [plurales] in us productam. Genitivus in uum. Dativus et ablativus in bus, ut, hi senatus, horum senatum, senatibus, senatus, o senatus, a senatibus.

Quintae declinationis genitivus et datus singularis [870D] in ei divisas. Accusativus in em. Vocativus similis est nominativo. Ablativus in e profertur [Ms., in e productam]. Ut, haec res, hujus rei, rei, rem, res, a re. Nominativus et accusativus et vocativus plurales in es. Genitivus in um [Ms., in rum]. Dativus et ablativus in bus: ut hae res, rerum, rebus, res, o res, a rebus. Num, France, adhuc sat habes de nomine?

FR. Sat habuissem, Saxo, si non ciniphes quae sunt in domo magistri

atures mihi quaestiunculis suis implescent. Tamen si placet transeamus ad alia. Illas quoque modo excutiam. Tu transi quo velis, sequar te quo vadis.

DE PRONOMINE.

FR. Pronomine quid est?

SAXO. Pars orationis cum casu positum [Ms., posita] nominis vice, ne [871A] saepius iteratum nomen fastidium faciat [Ms., faceret] audienti vel legenti: et finitas recipit personas.

FR. Pronomini quot accidunt [Ms., accedunt]?

SAXO. Sex: Species, persona, genus, numerus, figura, casus.

280 **FR.** Species pronominum quot sunt?

SAXO. Duae. Quia sunt pronomina aut privativa, aut derivativa.

FR. Primitiva quot sunt?

SAXO. Octo. Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is.

FR. Derivativa quot sunt?

SAXO. Septem. Meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras.

FR. Unde haec [pronomina] derivantur?

SAXO. A genitivis primitivorum. A mei meus, a tui tuus: a sui suus: a nostrum noster et nostras: a vestrum [871B] vester et vestras. Haec sunt quindecim pronomina in quibus nulla dubitatio est.

FR. Personae pronominum quot sunt?

SAXO. Tres. Sed prima persona et secunda singulas habent voces, quia praesentes semper sunt inter se, ut: ego, tu. Tertia vero sex habet voces, quia tertiarum personarum plurimae sunt diversitates, ut, sui, ille, ipse, iste, hic, is. Et tertia persona modo praesens est, ut iste: modo absens, ut ille.

DE GENERIBUS PRONOMINUM.

FR. Genera pronominum quot sunt?

SAXO. Quinque. Masculinum, ut, hic; femininum, ut, haec; neutrum, ut, hoc; commune, ut, nostras, vestras; trium generum, ut ego, tu. Et omnia pronomina necesse est tria genera habere, vel in una voce confusa, [871C] ut, ego, tu; vel in diversis distincta terminationibus, ut meus, mea, meum. Quia pro unuscujusque rei propriis accipiuntur nominibus [pronomina].

DE FIGURIS.

FR. Figuram pronominum dic.

SAXO. Sunt pronomina simplicia, ut iste, hic. Sunt composita, ut istic, quod ex iste et hic componitur. Idem componitur ex is pronomine et demum proverbio; et est numero commune, ut idem vir et idem viri: in masculino i producta, in neutro i correpta: et ejus femininum eadem. Geminatur quoque ejus compositio in neutro, et dicitur idem idem [Ms., identidem], id est, idem et idem.

Componuntur pronomina cum adverbis, ut eccum, [871D] id est, ecce eum! ellum, ecce illum. Et cum praepositione, sed per anastrophe, ut mecum, tecum, secum; et cum nomine, ut hujusmodi, istiusmodi.

FR. Unde est illa compositio: egomet et hujusce?

SAXO. Non est compositio, sed paragoge, id est, adjectio syllabae. Et

sunt quatuor ejusmodi adjectiones, met, ce, te, pte, ut, egomet, tute, meapte, hujusce, [872A] illice, quod per apocopen profertur illic, ultima [syllaba] circumflexa.

DE NUMERO.

FR. Numeri pronominum quot sunt?

SAXO. Duo. Singularis, ut iste. Pluralis, ut isti.

Sunt et numero communia, ut sui, sibi, se, a se, quae nominativo carent, quia si esset hi vel si nominativus, dubitationem fecisset inter hi aliud pronomen, et si conjunctionem. Vel quia transitio vel reciprocatio personae in nomine non potest esse, quod sui semper habet: Reciprocatio, ut sui meminit. Transitio, ut, suo servo loquitur.

DE CASIBUS.

FR. Casus pronominum profer.

SAXO. Casus [872B] pronominum sunt ut nominum, nisi quod prima persona et tertia plus quinque casibus habere non possunt, quia vocativus in eis fieri non potest, qui proprius est secundae personae, 281 excepto meus possessivum [Ms., possessivo], quod mi facit vocativum, duas breves e e in [unam] i longam euphoniae causa convertens. Cujus pluralis quoque vocativum habet: o noster.

FR. Quot formae casuales fiunt in pronominibus?

SAXO. Sunt pronomina monoptota, ut eccum, ellum, mecum, tecum. Alia triptota, ut sui, sibi, se, meum, tuum, suum [Edit., mecum, tecum, secum]. Alia tetrapto, tuus, suus, illud, istud. Alia pentapto, ille, ipse, iste. Nam sextapto non inveniuntur pronomina.

[872C] FR. Dum pronomina casus habent et numeros, necesse est eos habere et declinationes, quarum regulas ut edisseras flagito.

SAXO. Improbis es scrutator.

FR. Quin [Ms., Quia] tu tenax es largitor.

SAXO. Quatuor sunt declinationes pronominum. Prima est quae in tribus primitivorum personis cernitur, cujus genitivus et dativus in i, accusativus et ablativus in e productam, ut, ego, mei, mihi, me, a me. Tu, tui, tibi, te, a te. Sui, sibi, se, a se. Primae et secundae personae plurales, nominativum et accusativum in os; genitivum in um vel in i; dativum et ablativum in is; ut nos, nostrum vel nostri, nobis, nos, a nobis. Similiter et vos. Tertia persona non habet nominativum, et per caeteros casus communis [872D] est numeri, id est sui.

FR. Unde personae intelliguntur pronominum?

SAXO. In primis syllabis: in extremis casus et numeri. Secunda declinatio est in reliquis quinque primitivis, quorum genitivus in ius, dativus in i, desinit per tria genera: praeter huic solum, ne hui interjectio putetur. Accusativus autem et ablativus [873A] singularis, et omnes casus plurales in masculino et neutro secundae declinationis, nominum terminationes servat; in feminino [vero] primae. Ut ille, illius, illi, illum, ab illo. Et pluraliter: illi, illorum, illis, illos, ab illis. Illa, illius, illi, illam, ab illa. [Et pluraliter] Illae, illarum, illis, illas, ab illis. Illud, illius, illi, illud, ab illo. [Et pluraliter] Illa, illorum, illis, illa, ab illis. Sic et reliqua

quatuor declinantur; nisi hic et haec et hoc, [quod] c per omnes singulares casus assumit, praeter genitivum.

Tertia declinatio est pronominum in quinque derivativis, quae secundum regulam nominum mobilium in utroque numero declinantur: in masculino et neutro secundam, in feminino primam sequens declinationem. Et sunt haec: meus, tuus, suus, [873B] noster, vester.

Quarta declinatio est communium: et declinantur sicut in duobus reliquis, quae sequuntur tertiae declinationis nomina. Ut, hic et haec nostras, vestras: et hoc nostrate, vestrate; nostratis, vestratis.

[(Ex ms.)] FR. Quare non declinantur haec pronomina: Eccum, eccam: ellum, ellam?

SAXO. Quia ex obliquo et indeclinabili parte componuntur.] Ecce habes quae vi extorsisti.

FR. Melius est vi extorquere, quam non habere. Dic tamen de o, qui vocativo casui in nominibus et pronominibus et participiis jungitur; est pronomem, an non?

SAXO. Non est pronomem, sed adverbium [873C] vocandi vel optandi; ejusdem significationis dum dicis, heus juvenis, et o juvenis. Et nulli alii personae potest jungi, nisi secundae.

FR. Memor esto, dixisse te quindecim pronomina esse. Sed quid est quod Donatus inter pronomina posuit, quis, qualis, talis, quot, tot, quotus, totus, [quantus, tantus]?

SAXO. Memini me dixisse quindecim esse pronomina, in quibus nulla dubitatio esset. De istis enim quae ponis, dubitatio est an sint pronomina, an nomina. Priscianus Latinae eloquentiae decus nomina interrogativa vel relativa vel redditiva ea omnino [Ms., nomina] dicit, et pronomina negat esse posse, quia finitas personas non habent, quod proprium est pronominis cum casu juncti: sicut et alia novem nomina mobilia quidam [873D] errore seducti pronomina dicunt esse, quia pronominum declinationem habent, id est, unus, ullus, nullus, solus, totus, alius, alter, uter, neuter: quos multae lectionis ratio revincit.

282 An meus, tuus, suus, nomina dicenda sunt; quia per omnes casus nominum sequuntur declinationem? Quantum ad puerilem nostram disputationem pertinere visum est, de pronomine habes sufficienter. Sed totum te transfer ad verbum.

FR. Placet quod habeo, licet plus indignissem. Attamen totum me, ut suades, transferam ad [874A] inquisitiones verbi. Tu te ad responsiones para.

SAXO. Faciam.

DE VERBO.

FR. Primo omnium verbi definitionem dic mihi.

SAXO. Magis interrogemus magistrum, quae sit verbi definitio secundum philosophiam.

DIS. An habet, magister, juxta philosophiae rationem haec tam principalis pars definitionem propriam, veluti nomen [habet]? MAG. Habet subtilem definitionem et nobilem, et est hujusmodi: Verbum est vox

significativa secundum placitum, cum tempore, definitum aliquid significans et accidens [Edit., accedens].

DIS. Expone, pater, hanc nobis definitionem.

MAG. Dum dico, lego, actum significo legentis: [874B] quem actum alia Graecus significat voce; et ideo verbum secundum placitum est: tempusque attrahit. Definitum, id est, certum aliquid significat: et accidens; accidit enim actio vel passio homini. Sed vestram vos intrate disputationem; haec alias.—DIS. Fiat ut jubes.

FR. Profer, Saxo, proprietatem verbi.

SAXO. Verbum est pars orationis cum temporibus et modis, sine casu, agendi vel patiendi significativum.

FR. Si verba actum vel passionem significant, unde dicuntur neutra?

SAXO. Non ideo quod actum vel passionem [non] significant [Edit., ne significant], sed ideo quia unum horum significant. Nam activa in nostro actu alterius passionem [874C] significant, [sicut et passiva in nostra passione actum alterius significant]. Nam dum dico: amo te, patiaris [Ms., pateris] actum meum, id est, quod amo te. Et dum dico: amor a te, patior ego actum tuum, id est, quod tu amas me. Neutra vero uniformiter significant, vel agentem; ut ambulo, curro, prandeo; vel patientem, ut ardeo, veneo, vapulo. Sed et casibus non egent, quibus activa vel passiva egent. Nam activa accusativo casui junguntur, ut amo te; saepe et genitivo, ut memor sum tui; et dativo, ut dico tibi. Passiva ablativo junguntur, ut amor a te. Neutra absoluta sunt et per se [plenum] sensum significant, ut vivo, spiro, pergo.

FR. Verbo quot accidunt?

SAXO. Septem. Significatio, [874D] quae et genus dicitur, tempus, modus, species, figura, persona, numerus.

Significatio verborum proprie in actione vel in passione est, quae secundum analogiam duabus terminantur litteris, o et r. In o activa et neutralia. In r passiva, deponentia et communia. Et haec sunt genera verborum quinque.

Activa sunt, quae semper actum significant, ut, amo te. [Passiva sunt, quae semper passionem significant, ut, amor a te]: tamen si quis altius consideret et in activis verbis passionem, et in passivis actionem, sicut supra diximus, inveniet. Neutra [875A] uniformiter semper proferuntur, id est, aut actum solum, aut passionem solum significant. Actum, ut, manduco, curro [Ms., ambulo]: passionem, ut, vapulo a te, [veneo a te]. Sunt quoque neutralia intrinsecus in seipsis habentia passionem, et non ab alio extrinsecus, ut, rubeo, ferveo, caleo, aegroto, ruo. Deponentia quoque unam semper habent significationem, aut activam, ut, sequor te, praestolor te: vel sine adjectione casus, ut, luctor, loquor: aut passivam, ut, nascor a te, patior a te, mereor a te. Communia duas habent in una voce significationes agentis et patientis, ut, osculor te, osculor a te.

FR. Quot modis declinantur verba.

SAXO. Duobus modis. Nam neutra activorum, deponentia et communia passivorum regulam in declinatione

maxime [875B] sequuntur. Sunt praeterea neutra passiva, quae in praeterito perfectum et plusquamperfectum passivi declinationem habent. Et sunt haec sola: Audeo, ausus sum. [Gaudeo, gavisus sum. Soleo, solitus sum]. Fido, fisis sum. Fio, factus sum: et si qua ex his componuntur. Sunt alia passivo neutra superioribus contraria: Compereor, mereor, divertor; faciunt enim praeteritum, comperii, merui, diverti.

283 FR. Nunquid certas habent semper verba significationes?

SAXO. Nequaquam semper certas. Sed alia sunt quae una voce vel conjugatione diversas habent significationes, ut colo, pro diligo, et habito, et aro accipitur. Committo, pro credo et commendo. Condo, pro aedifico et celo. Gratulor pro gaudeo et gratias ago ponitur. Sunt alia quae cum [875C] conjugatione mutant significationem. Haec in secunda persona discernitur: ut mando, mandas, a mandando; mando, mandis, a manduco, [Ms., mandendo]; fundo, fundas, a fundando; fundo, fundis, a fundendo; volo, volas, a volando; volo, vis, a voluntate [Ms., volendo]. Sero, seras, seravi; sero, seris, sevi; lego, legas; et lego, legis; dico, dicas, brevis di; dico, dicis, longa di; appello et compello, compellas, id est, clamo, acclamo; appello, appellis, id est, applico; repello, compello, id est, cogo. Haec, France, de varia verborum significatione dicta sufficient; nunc ad tempora curro [Ms., curre].

FR. Fiat. Primo dic mihi, unde dictum sit tempus?

SAXO. A temperamento. Quia omnia mortalia tempus habent.

[875D] FR. Tempora quot sunt?

SAXO. Tria secundum naturam: praeteritum, ut legi; praesens, ut lego; et futurum, ut legam. Quadam tamen necessitate praeteritum tempus in tres dividitur distantias; quia quaedam sunt quae multo ante dicimus transacta, ut legeram. Aliquando quaedam quae paulo ante, ut legi heri. Quaedam inchoata [Al., inchoativa] sunt, sed nondum perfecta, ut legebam. Et ideo quinque tempora annumerabimus in verbis.

FR. Quod horum tempus [Ms., temporum] in verbis principalem inter caetera tenet locum?

SAXO. Praesens, quia in ipso sumus, dum loquimur de praeterito et futuro. Et a praesenti ducuntur praeteritum [876A] et futurum. Quamvis itaque praesens tempus instabili motu naturaliter exsolvatur [Ms., volvatur], et pars ejus jam praetereat, parsque sequatur, tamen ad ordinationem [Edit., ornatorem] diversorum gestorum tempora dividimus.

FR. Num in omnibus modis omnia tempora inveniuntur?

SAXO. Nequaquam. Nam imperativus naturali necessitate non habet praeteritum. Quia ea sola imperamus quae in praesenti sunt vel in futuro. Caeterum indicativus et subjunctivus per omnia tempora currunt. Optativus quoque et infinitivus, licet confusa voce, in quibusdam tamen omnia habent tempora, ut utinam legerem nunc et heri; et utinam legissem ante, ante, et ante quinquaginta annos. Item

legere me volo et volebam: et legisse me volui et [876B] volueram.

FR. An in omnibus verbis haec quinaria temporum divisio invenitur?

SAXO. Non. Quia sunt verba quae rationem temporum non servant, ut inchoativa verba in omni praeterito perfecto et plusquamperfecto deficiunt.

Item omnia impersonalia, quae a se nascuntur, in futuro infinitivi deficiunt, ut poenitere, poenituisse; et pleraque neutra in futuro infinitivi deficiunt, ut horreo, horrere, horruisse. Nam poenitum ire non dicimus, etc.

Sunt quoque verba quae praeteritum tempus non habent, nisi ex aliis sumantur [Ms., sumatur] verbis, ut percutio, percussi: ferio non habet praeteritum, nisi dicas, percussi. Sic statuo, statui; sisto, statui; sustollo, sustuli; et suffero, sustuli; tollo, [876C] tuli; et fero, fers, fert, tuli facit; insanio, insanivi, et fureo insanivi; cerno, crevi, et cresco, crevi facit. **Item** quoque inchoativa et meditativa non solum in praeterito, sed etiam in futuro infinitivi deficiunt: tepescere, parturire. **Item** verbis in or desinentibus desunt tempora praeterita perfecta [et plusquamperfectum] et futurum conjunctivi [Ms., subjunctivi], sed per participia [Ms., participium] [praeteriti temporis] et verbum substantivum sum declinantur, ut amatus sum, amatus fueram, amatus ero, etc.

DE MODIS VERBORUM.

FR. Modi verborum quid [Al., qui et quot] sunt?

SAXO. Modi sunt diversae inclinationes [Ms., declinationes] [876D] animi, varios ejus affectus demonstrantes. Et sunt quinque: indicativus, qui et definitivus, quo indicamus vel definimus quid agatur vel patiatu a nobis; qui ideo primus ponitur, quia perfectus est personis et temporibus; et alii modi ex eo regulam sumunt. Vel quod ex eo participia vel nomina vel verba derivantur; ut a duco, ducens: a duxi ductus, et dux: a ferveo, fervens, ferveo, fervor.

284 Imperativus est, quo imperamus aliis, ut faciant vel patiantur. Et est per se absolutus, nec [per se] alterius indiget partis ad significandum: et ideo secundum tenet locum in modis. Et hoc orantes saepissime utimur; ut:

[877A] Musa, mihi causas memora...
Deinde optativus, per quem optamus. Qui ideo tertius in ordine ponitur, quia inferior est qui optat quam qui imperat; et adverbio optandi indiget ad compleendum sensum, ut, utinam legerem.

Quarto loco subjunctivus ponitur et jure. Eget enim non modo adverbio vel conjunctione, verum etiam altero verbo, ut perfectum significet sensum. Unde et subjunctivus dicitur; ut Virgilius (Eclog. III, 77):

Cum faciam vitula [Ms., vitulam], pro frugibus ipse venito.

Et omnibus aliis modis sociari potest; ut dum legerem, scripsi: et, dum legam, scribe; et, dum legerem, utinam scriberem.

[877B] Infinitivus est, qui et personis et numeris deficit, et eget uno ex supradictis quatuor modis, ut plenum aliquid significet, ut, legere propero, legere propera, utinam legere properarem, cum legere properarem.

Impersonale verbum a neutris activae significationis vel ab activis nascitur, ut curritur, vivitur, legitur, amatur. Et per omnes modos et personas et tempora et numeros, junctis pronomibus rite declinantur [Ms. declinatur]: curritur a me, a te, ab illo; curritur a nobis, a vobis, ab illis. Praeterito imperfecto, legebatur [a me]. Praeterito perfecto, lectum est [vel lectum fuit a me]. Praeterito plusquamperfecto, lectum erat. Futurum, legetur [a me]. Sic et per alios modos.

[877C] **FR.** Quid est inter impersonale et infinitivum?

SAXO. [Quod] infinitiva [voluntariis] verbis junguntur; ut: legere volo. Impersonalia pronomibus; ut legitur a me.

FR. Quot formae sunt impersonalium?

SAXO.—Quatuor. Aut in tur, aut in at, aut in it, aut in et exeunt: ut, statur, restat, contingit, pudet. Sed quae in et exeunt, alia a verbis veniunt, ut miseret. Alia a se oriuntur, ut pudet, poenitet, decet.

FR. Quae sunt supina et participialia?

SAXO. Quinque sunt ejusmodi voces; ut: legendi, legendo, legendum, lectum, lectu. Quas Priscianus omnino nomina vult esse, quia temporibus carent, et personas non discernunt, et praepositionibus separatis junguntur; ut, ad legendum vado, vel legendo venio.

[877D] **FR.** Intentus sum de specierum ratione audire maxime, quia hoc accidens verbi Donatus dimisit.

SAXO. Non dimisit, sed in formis attigit. Nam species verborum duae sunt: una principalis, quam Donatus perfectam formam nominat; ut, lego. Altera derivativa, quam ille meditativam, frequentativam, vel [Ms., et] inchoativam dicere voluit; ut, a lego, lecturio et lectio. Et a ferveo, ferveo. Et haec, id est inchoativa, semper in sco desinunt et tertiae sunt conjugationis; ut, calesco, calescis; vesperasco, vesperascis. Et praeteritum non habent tempus, nec participia futuri temporis.

Frequentativa primaee sunt conjugationis, ut in tito, vel to, vel so, vel xo desinunt; ut, lectito, as; dicto, [878A] as; merso, as; nexo, as; et fiunt [Ms., sunt] semper neutra [sicut et] inchoativa.

Meditativa in urio desinunt et quartae [tantum (Ms. om. tantum)] conjugationis sunt; ut, lecturio, is; esurio, is, quod ab edo derivatur.

Sunt aliae quoque species derivativorum; ut, a video, viso, id est cupio videre; a facio, facesso; a capio, capesso; a lacerio, lacerasso; ab arceo, arcesso; ab acceo, accesso. Quae frequentativa non esse conjugatio ostendit. Sunt quoque alia per diminutionem derivativa [Ms., derivata], ut a sorbeo, sorbillo; a garrigo, garrullo; a calvo, calvillo. **Item** a nominibus derivativa fiunt; ut, a patre, patrisso; a graeco, graecisso. Impersonalia quoque pene omnia ab activis [Edit., adjectivis] vel neutralibus derivativa [878B] sunt; ut, a lego, legitur; a sto, statur. Inveniuntur quoque et ab adverbis verba derivari; ut a perendie, perendino; et a cras, procrastino; et ab intus, intro intras, [in]travi].

285 DE FIGURIS VERBORUM.

FR. Figuratas verborum compositiones, precor, expone.

SAXO. Sunt verba simplicia, ut cupio, taceo. Et [sunt] composita, [ut] concupio, conticeo. Sunt et decomposita, id est, a compositis derivata [Edit., derivativa], ut concupisco, conticesco. Sunt et ex tribus partibus composita, ut perterrifico. Sunt et quae mutant in compositione conjugationem, ut: do, das, facit reddo, reddis; facio, facis, amplifico, amplificas. Sunt composita, quorum simplicia [878C] in usu non sunt, ut offendo, aspicio, aperio, refragor. Fendo [enim], et spicio, et perio, et fragor non reperi. Sunt quae genus mutant in compositione: Sperno, spernis, activum; aspernor, aspernaris, deponens. [Sentio, neutrum; assentior, deponens.] Sedeo, sedes, neutrum; insidior, insidiaris, deponens; obsideo vero et adsideo activa sunt. Eo et facio neutra sunt; adeo, subeo, perficio, conficio, et ex eis composita activa sunt; faciunt [enim] adeor, subeor, perficior, conficior. Ex facio quoque neutro, versificor, versificaris, et gratificor, gratificaris, deponentia nascuntur. Complecto, activum; amplector, deponens. Componuntur verba cum nominibus, ut ab amplo et facio, amplifico, ex quo participium amplificans: et cum altero verbo, ut calefacio, id est, [878D] calere facio; vel cum adverbio, ut, benedico; vel cum praepositione, ut indico, subeo. Sed praepositionibus per compositionem junguntur semper sicut nominativo casu [Edit., casui], cujus vim ubique obtinent verba per omnes personas, ut, facio ego, facis tu, facit ille, nisi imperativa secundae personae, [quae] vocativum [Ed., vocem] adsciscunt, ut scribe, Virgili: lege, Terenti.

DE CONJUGATIONE VERBORUM.

FR. Ecce de figuris habeo. Sed conjugationum distantias dic mihi. Et primum, unde dicta sit conjugatio, expone.

SAXO. Conjugatio dicta est quod in unam declinationis rationem plurima conjungi verba.

[879A] **FR.** Conjugationes quot sunt?

SAXO. Apud Graecos decem [Ms., decim, non male, sed antiquae; unde undecim]. Apud Latinos quatuor. Et eorum quae in o prima persona desinit, sed secunda in as finitur, ut amo, amas, sto, stas, haec prima dicitur. Et secunda in es, ut moneo, mones. Tertia in is brevis, ut lego, legis. Quarta in is longum [Ms., longam], ut munio, munis. Eorum verborum, quae in o prima persona finitur, et in aris secunda, prima est conjugatio, ut amor, amaris, criminor, criminaris, luctor, luctaris. Secunda in eris producta penultima [Al., pene ultima], ut doceo, doceris, reor, reris. Tertia in eris correpta penultima, legor, legeris, sequor, sequeris. Quarta in iris producta penultima, muniior, muniiris, molior, moliris.

[879B] **FR.** Num singula verba certas habent conjugationes?

SAXO. Sunt verba in prima persona confusa: in secunda vero sensu et [certa] conjugatione discernuntur, ut dico, dicis, et dico, dicas; volo, vis, et volo, volas; fundo, fundas, fundo, fundis; mando, mandas, mando,

mandis [Ms., mundo, mundas, mundo, mundis]. Sunt quaedam e contrario unius significationis, sed diversae conjugationis, ut denso, densas, et denseo, denses; strideo, strides; strido, stridis; ferveo, ferves, ([inde] ferveo, cis), fervo, fervis; cieo, cies; cio, cis; dureo, dures, unde dureo et duro, duras; tueor, tueris; tuor, tueris, penultima correpta; fulgeo, fulges; fulgo, fulgis; excelleo, excelles; excello, excellis; sono, sonas; sono, sonis; uno, unas; unio, unis.

[879C] **FR.** Quot modis declinantur verba?

SAXO. Quorum rationabiliter prima persona in o desinit, tribus modis declinantur, absque praeterito perfecto indicativi, et imperativo et infinitivo. Nam juxta praesens tempus trium conjugationum per omnes modos et tempora declinari solent verba, nisi praescripta. Praeteritum vero imperfectum et plusquamperfectum primae conjugationis: item secundae et tertiae, et quartae optativi, futurum et praesens subjunctivi [Ms., subjunctivi] secundum primae praesens tempus in ultimis litteris semper declinantur, ut amo, amas, amat, amamus, amatis, amant; amabam, amabas, amabat, amabamus, amabatis, amabant; amaveram, amaveras, amaverat, amaveramus, amaveratis, amaverant. Optativi, futurum et praesens subjunctivi: [879D] Doceam, doceas, doceat, doceamus, atis, ant. Secundum praesens tempus secundae conjugationis 286 futuri indicativi [Ed., secundum conjugationem futuri indicat]. In tertia et quarta omne praesens et praeteritum optativi, et subjunctivum praeteritum imperfectum longae [Ed., longam] in penultima, et plusquamperfectum in omni conjugatione, primae quoque optativus, futurum et subjunctivum praesens (ut legam, leges, leget, emus, etis, ent; doceo, ces, cet, emus, cetis, cent), sic declinanda sunt: Amarem, amares, amaret, amarem, retis, rent; amavissem, ses, set, emus, etis, sent, quae sunt subjunctivo et [880A] optativo communia. **Item** optativi, futurum et subjunctivi [Ms., subjunctivum] praesens: Amem, es, et, emus, etis, ent. Secundum tertiae conjugationis praesens et indicativi futurum, primae et secundae et quartae in eo desinentis, et subjunctivi praeteritum perfectum et futurum, nisi in tertia persona plurali, u mutant in i, ut lego, legis, legit, legimus, legitis, legunt; amabo, is, it, imus, itis, unt; docebo, bis, bit, bimus, bitis, bunt. Subjunctivi praeteritum perfectum: Amaverim, is, it, imus, itis, int. **Item:** Amavero, is, it, imus, itis, int. Et quartae: Ibo, ibis, ibit, ibimus, ibitis, ibunt. Horum autem omnium verborum, quae bina [Al., trina] distinctione a secunda persona declinantur, prima persona aut in o, aut in am, aut in em, aut in im desinit.

[880B] **FR.** Quomodo praeteritum perfectum et imperativus declinanda sunt?

SAXO. Omne praeteritum perfectum, si juxta rationem declinat, in i mittit primam personam; in secunda in sti, syllabam; tertiam in it, et pluralem numerum in imus, in istis, in erunt vel ere, longa e, mittit.

FR. Imperativi finales litteras deprome.

SAXO. Omne imperativum singulare primam, natura abdicante, personam non habet et vocativo casui jungitur, quia praesenti imperat in secunda persona, quae in prima conjugatione a longa finitur, ut ama; in secunda e quoque longa, ut ave [Ms., habe]; in tertia e brevis, ut lege; in quarta i longa, ut audi. Quae ubique, in verbis vel nominibus, i in fine posita producitur. Tertia persona in prima conjugatione [880C] in et: in caeteris conjugationibus in at, ut amet, habeat, legat, audiat. Prima persona in numero plurali in mus; in secunda in te; tertia in ent, in prima conjugatione; in caeteris ant, ut amemus, amate, ament; doceamus, docete, doceant, etc., ubique penultima primae personae et secundae longa, absque tertiae conjugationis secunda persona, quod est, legite. Futurum imperativi in to secunda persona, ut amato, habeto, legito, audito, longa penultima absque tertiae conjugationis [Ms., absque tertia declinatione]. Tertia persona futuri similis est ubique praesenti: tertia persona et prima pluralis numeri similis quoque est plurali praesentis. Secunda persona pluralis in tote, ut amatote, habetote, legitote, [880D] audiotote. Tertia finit in nto, ut amanto, decento, legunto, audiunto.

FR. De infinitivis dic.

SAXO. Omne infinitivum praesens in re, et praeteritum in se, et futurum in ire vel esse in omni conjugatione desinit, ut amare, amasse, amatum ire, vel amaturum esse.

FR. Quid de quinque gerundiis [Al., gerendis] sentiendum est?

SAXO. Quid aliud, nisi ut prius dixi, quod omnino, secundum Priscianum, nomina sunt. Nam praepositiones separatas accusativos casus et ablativos [Ms., accusativi casus et ablativi] accipiunt ut [ad] amandum, in amando, quod verbo non potest accidere.

[881A] **FR.** Quid tamen distat inter, amandum, amando, et amatum, amatu? **SAXO.** Quod amandum necessitatem amoris significat; amatum initium amoris. Similiter amando in ipso amore; amatu pro amatione, id est, pro ipsa re accipitur.

FR. Passivi [Ed., passim] regulas pande mihi.

SAXO. Pandam breviter, ne prolixior sim, quam huic puerili ludo deceat (Sic mss.). Omne passivum ex activo [suo] sit ubique per omnes conjugationes. O finita vel m in activis tempore praesenti et praeterito imperfecto, et futuro assumunt r in passivis, ut [amo, amor] amabo, amabor; amato, amator; amanto, amantor; amabam, amabar; amarem, amarer; amem, amer; legam, legar, etc. Caeterae personae secundum praedictas regulas trium conjugationum [881B] praesentis temporis declinantur. Nam secunda persona in ris vel in re desinit, tertia in tur; et prima in plurali in mur, secunda in mini, tertia in ntor. Omnium modorum praeteritum [Edit., praeter] perfectum et plusquamperfectum et subjunctivi futurum per participium praeteriti temporis, et sum subjectivum verbum declinatur, 287 ut amatus sum, vel fui: amatus eram, vel fueram. Optativus: amatus essem vel fuisset. Subjunctivus: amatus sim vel fuerim; essem vel fuisset. Futurum: amatus ero vel fuero. Passiva imperativi

secundae personae praesentis [temporis] in omni conjugatione similes activis infinitivis, ut amare, docere, legere, audire, penultima longa, nisi tertia conjugatione. Tertia vero in tur exit, prima pluralis in mur, secunda in mini, [881C] [quod in indicativo et imperativo similiter profertur (Edit., quod imperativus et infinitivus similiter profertur)] in prima conjugatione. Tertia pluralis in prima, in entur; aliis in antur: et futuri temporis secunda persona in tor, et tertia in tur: et pluralis prima in ur, et secunda in minor, et tertia in ntor, ut amare, ametur; amemus, amaminor, amentor: amator, ametur; amemus, ameminor, amentor. Infinitiva passiva semper in i praesentis temporis, ut amari, doceri, legi, audiri. Et praeteritum per participium neutrale et esse vel fuisse, ut doctum esse vel fuisse. Et futurum in iri, ut amatum iri. Ecce habes, France, quod quaesisti; sed tua curiositas te facit non amatum iri.

FR. Nec tua te indivia gratum iri.

SAXO. Caute! [881D] ne audiat qui flagellare solet. Sed prosequere caetera.

FR. Ut reor, ordo accidentium deposcit personas verborum investigare.

SAXO. Personae verborum tres sunt. Prima est, quae de seipsa loquitur et alias ostendit. Secunda, ad quam loquitur. Tertia, de qua loquitur. Nisi enim sit prima, quae profert sermonem, aliae esse non possunt. Et primae quidem et secundae verborum personae finitae sunt; praesentes enim demonstrant. Tertia vero infinita est, itaque eget plerumque praenomine, ut definiatur. Et prima quidem potest sibi et secundam et tertiam conjungere, ut, ego et tu, et nos facimus: ego et ille facimus. Secunda vero non [potest] conjungere [882A] sibi nisi tertiam, ut, tu et ille facitis. Tertia vero nec primam nec secundam, sed alteram tertiam, ut, iste et ille faciunt. In imperativis prima quia singularis non potest esse, quia naturaliter imperans, ab eo cui imperat dividitur. Infinita [Ms., Infinitiva] quoque et impersonalia et gerundia carent naturaliter personis.

DE NUMERO

FR. Numerum verbis accedentem [Ms., accidentem] pande.

SAXO. Numerus singularis, ut lego, pluralis, ut legimus, accedit verbo veluti omnibus partibus casualibus: sed in verbo sub una voce nunquam singularis et pluralis invenitur numerus sicut in caeteris partibus, ut dies, res, nominativus singularis [882B] et pluralis; isti, illi, dativus singularis et nominativus pluralis. Sciendum quoque est tibi, o France, quod quaecunque verba personis deficiunt, semper et numero defectiva fiunt, ut impersonalia et infinitiva. Ideo pronomibus additis assumunt personas et numeros, ut, legitur a me, a nobis: legere te volo, et legere vos volo.

FR. Sed quia defectiva esse verba introduxisti, subito defectiva per singula accidentia opus habeo ut pandas mihi, maxime quia Donatus magister noster haec valde obscure et breviter tetigit.

SAXO. Non sum tibi debitor irrationabilium, sed rationabilium, et eorum quae regulis subiaceant.

Attamen, uti scias non me invidiosum esse in te, sicut nec te fastidiosum intelligo, pandam aliqua ex illis. Tribus enim [882C] modis verba, vel [Ms., velut] aliae partes [fiunt] defectivae; aut naturae necessitate, aut fortunae casu, vel differentiae causa. Naturae necessitate, ut, si velimus masculinum dicere ab eo, quod [est] nupta, nuptus: vel a puerpera, puerperus, repugnat ipsa rerum natura: vel inconsonantiae causa; ut, si velimus a cursor curstrix facere femininum, sicut a victor victrix, inconsonum [est]. In fortunae casu, inusitata et turpia vitantur, et quibus auctores non utuntur; quomodo a dor secundum regulam dici potuit; sed quia in auctoribus non invenitur, recusamus dicere. Differentiae quoque causa plurima vitantur, ut, fero, fers, fert per syncopam sine i littera in secunda et tertia persona profertur, ne si feris, ferit, dicas, a ferio putetur venire. Sic edo, es, est, et, [882D] volo, vis, vult, differentiae causa anomaliam habent litteraturam. Et volo naturaliter imperativo modo caret, quia imperata necessitatis sunt, non voluntatis. Sic fac, duc, dic, fer, placuit auctoribus per apocopam proferri differentiae 288 causa, ne si face, duce, dice, fere, diceremus, aliud significare putarem. **Item** multa non dicuntur, quia in auctoribus non inveniuntur, de quibus per singula accidentia aliqua tuae pandam aviditati.

Nam quaeso non habet alios modos nisi indicativum; personam primam in utroque numero, et [quesere] infinitivum. **Item** ovat et infit, non habent nisi tertiam personam; et ovans participium. **Item** ausim, id est, auctoritatem habeam; et inquam, contra morem [883A] in prima persona profertur. Salve et salvete imperativa tantum secundam personam habent.

Item, cede pro da [Ms., dic]. Cete [Ms., Cedite] pro date. Terentius: Cete patri meo, id est, date: Et ave, pro gaude: et ave pro gaudeat secundae personae sunt. **Item** faxo, pro faciam futuri temporis est tantum indicativi modi, et facit: faxo, faxis, faxit; faximus, faxitis, faxunt, id est, faciunt. **Item**: facesso et capeso, et viso, desiderativa sunt, non frequentativa, quia primae non sunt conjugationis. Facesso, id est, desidero facere. Capeso, desidero capere. Viso, id est, desidero videre.

Item sis, id est, si vis: et sodes, id est, si audes, secundae personae sunt.

Item foret, pro esset, et forent pro essent: et fore pro esse invenitur.

Item aio et meo in multis deficiunt. Nam [883B] aio, ais, ait: et aitiss, aiunt, facit; in prima plurali deficit: et ait praeteritum perfectum: sicut meo infinitivum meiere facit. Sunt, quae idem habent praesens et praeteritum imperfectum [Al., perfectum], haec sola: odi, novi, memini, coepi, pepigi, haec in imperfecto [Al., imperativo] deficiunt praeter memini, quod memento et mementote facit; et in futuro et infinitivo modo et in supinis, nec non in participiis, utrisque temporibus [Al., utrisque temporis] deficiunt, praeter odi, quod [in figura composita] duo participia [praeteriti temporis] facit: exosus, perosus. Sunt passiva quoque et deponentia, quae in praeterito deficiunt, nisi aliunde ad supplementum declinationis assumatur praeteritum. Ut, feror, ferior, tollor, poscor, urgeor; faciunt enim praeteritum, [883C] latus sum, ictus

sum, sublatus sum, postulatus sum, convictus sum. **Item** deponentia: vescor, fruor, medeor, liquor, reminiscor [Edit., remuneror], faciunt, pastus sum, potitus sum, medicatus sum, liquefactus sum, recordatus sum.

Sum verbum, quod inaequalem habet declinationem, sive in simplici participio, sive in compositis praesentis temporis deficit, nisi in duobus ab eo compositis, id est, absum et praesum, quod facit, absum et praesens. Possum, potes, postest, mutant s in t euphoniae causa. Et prosum, prodes, prodest, assumit d, hiatus causa devianti. Volo vero et malo et ex eo compositum [Ms., composita], id est, magis volo, naturali necessitate imperativo carent, quia imperata necessitatis sunt non voluntatis, quod tamen in alio [883D] suo composito habet, id est, nolo; facit enim noli et nolite.

FR. Pleniorem tamen declinationem horum quatuor verborum, ut reddas mihi, deponco; id est, sum, fero, edo, volo.

SAXO. Inusitata est in multis locis illorum declinatio. Attamen ut in magistrorum exemplis eorum reperitur ratio, pandam. Sum verbum neutrale est, quod declinatur sic: Sum, es, est: Plural. Sumus, estis, sunt. Praeteritum imperfect. Eram, eras, erat. Plural. Eramus, eratis, erant. Praeteritum perfect. Fui, fuisti, fuit. Plural. Fuimus, fuistis, fuerunt, vel fuere. Praeterit. Plusquamperfect. Fueram, fueras, fuerat. Plural. Fueramus, fueratis, [884A] fuerant. Futuro. Ero, eris, erit. Plural. Erimus, eritis, erunt. Imperativo modo tempore praesenti, ad secundam et tertiam personam: Sis vel es, sit. Plur. Simus [estote vel] sitis, sint; et sunt et suntote. Optativo modo tempore praesens et Praeteritum imperfect. Utinam essem, esses, esset: Plural. Essemus, essetis, essent. Praeterit. Perfect. et Plusquamperfect. Fuisset, fuissetis, fuisset. Plural. Fuissetis, fuissetis, fuisset. Plural. Futurum. Sim, sis, sit: Plural. Simus, sitis, sint. Coniunctivo modo tempore praesenti: cum sim, sis, sit. Plural. Simus, sitis, sint. Imperfecto: Essem, esses, esset. Plural. Essemus, essetis, essent. Perfectum. Cum fuerim, fueris, fuerit. Plur. Fuerimus, fueritis, fuerint. Plusquamperfectum: Cum fuisset, fuissetis, fuisset. Plural. Fuissetis, fuissetis, fuisset. Plural. Futurum. Cum fuero, fueris, fuerit. Plural. Fuerimus, fueritis, fuerint. Infinitivo modo, numero et personis, tempore praesenti: esse. Praeterito: fuisse. Futuro; esse, et ire, et fore.

289 Cujus praesens participium veteres ens proferebant, unde componitur potens. Nam futurum magis a fio verbo videtur nasci. Potest tamen et a fui esse existimari. Sic enim declinanda sunt ex eo composita: Prosum, adsum, desum, obsum, [intersum, praesum, supersum]. Et ex eis [tantum] duo participia praesentis temporis [sunt], id est: praesens et absum.

Fero verbum discretionis causa per syncopen abicit i in secunda et tertia persona, propter ferio [884C] verbum, quod ferio, feris, ferit, facit. Fero, fers, fert. Plural. Ferimus, fertis, ferunt. Imperfectum. Ferebam, ferebas, ferebat. Plural. Ferebamus, ferebatis, ferebant. Praeteritum perfect. Tuli, tulisti, tulit. Plural. Tulimus, tulistis,

tulerunt vel tulere. Praeteritum plusquamperfectum. Tuleram, tuleras, tulerat. Plur. Tuleramus, tuleratis, tulerant. Futurum. Feram, ferēs, feret. Plur. Feremus, feretis, ferent. Imperativus. Fer [vel] feras, ferat. Plur. Feramus, ferte, ferant. Futurum: Ferto [vel feras], ferat. Et Plur. Feramus, fertote, ferant. Optativus. [Utinam] ferrem, ferres, ferret. Plural. Ferremus, ferretis, ferrent. Plusquamperfect. Tulissem, tulisses, tulisset. Plural. Tulissemus, tulissetis, tulissent. Futurum. Feram, feras, ferat. Plural. Feramus, [884D] feratis, ferant. Coniunctivi [modi temp. praes. cum] feram, feras, ferat. Plural. Feramus, feratis, ferant. Imperfectum. Ferrem, ferres, ferret. Plural. Ferremus, ferretis, ferrent. Perfect. Tulerim, tuleris, tulerit. Plur. Tulerimus, tuleritis, tulerint. Plusquamperfect. Tulissem, tulisses, tulisset. Plur. Tulissemus, tulissetis, tulissent. Futurum. Tulerō, tuleris, tulerit. Plur. Tulerimus, tuleritis, tulerint.

Edo verbum inaequale, cuius secunda et tertia persona, causa differentiae, per concisionem proferuntur. Edo, es, est. Plural. Edimus, estis, edunt. Praeteritum Imperfect. Edebam, edebas, edebat. [885A] Plur. Edebamus, edebatis, edebant. Praeteritum perfect. Edi, edisti, edit. Plur. Edimus, edistis, ederunt vel edere. Plusquamperfect. Ederam, ederas, ederat. Plural. Ederamus, ederatis, ederant. Futurum. Edam, edes, edet. Plur. Edemus, edetis, edent. Imperativus. Es, edat. Plur. Edamus, este, edant. Futurum. Esto, edat, Plural. Edamus, estote, edant, vel edunto, eduntote. Optativus. Essem, esses, esset. Plural. Essemus, essetis, essent. [Praeterito perfecto et plusquamperfecto]. Edissem, edisses, edisset. Plural. Edissemus, edissetis, edissent. [Futuro]. Edam, edas, edat. Plural. Edamus, edatis, edant. Coniunctivo [modo] Edam, edas, edat. Plural. Edamus, edatis, edant. Essem, esses, esset. Plural. Essemus, essetis, essent. Ederim, ederis, ederit. Plural. Ederimus, [885B] ederitis, ederint. Edissem, edisses, edisset. Plural. Edissemus, edissetis, edissent. Edero, ederis, ederit. Plur. Ederimus, ederitis, ederint. Infinitivi modi tempus praesens: Esse. Similiter praeteritum, esse. Futurum: esum iri, vel esurum esse. Impersonale: Estur [Ms., editur] [Praeterito imperfect.] edebatur. [Praeterito perfect.] esum est, vel fuit. [Praeterito plusquamperfect.] esum erat vel fuerat. Futurum: edetur. Supina: Edendi, edendo, edendum. Esum, esu [Al., Essum, essu].

Volo quoque verbum neutrale per synopen prolatum in secunda et in tertia persona, et in imperfecto [Ms., imperativo] deficit. Volo, vis, vult. Plur. Volumus, vultis, volunt. Volebam, volebas, volebat. Plur. Volebamus, volebatis, volebant. Volui, voluisti, [885C] voluit. Plur. Voluimus, voluistis, voluerunt, vel voluere. Volueram, volueras, voluerat. Plural. Volueramus, volueratis, voluerant. Volam, volēs, volet. Plur. Volemus, voletis, volent. [Optativo]. Vellem, velles, vellet. Plural. Vellemus, velletis, vellet. Plusquamperfect. Voluissem, voluisses, voluisset. Plural. Voluissemus, voluissetis, voluissent. Velim, velis, velit. Plural. Velimus, velitis, velint. Vellem, velles, vellet. Plural. Vellemus, velletis, vellet. Voluerim, volueris, voluerit. Plur. Voluerimus, volueritis, voluerint. Voluissem, voluisses, voluisset. Plural.

Voluissemus, voluissetis, voluissent. Voluero, volueris, voluerit. Plur. Voluerimus, volueritis, voluerint. Infinitivus. Voluisse. Participium praesens: volens.

[885D] Sic declinanda sunt: Nolo, non vis, non vult; nisi quod nolo imperativum habet, ut, noli, nolite. Malo, mavis, mavult, et reliqua. Immitis es in me, 290 France. Ecce quale onus imposuisti mihi, dicens me per aspera et spinosa. Dimitte me tandem aliquando respirare.

FR. Dimittam, et juxta Virgilium (Eclog. IX, 65):

.... Ego hoc te fasce levabo.

SAXO. Etsi hoc levas, timeo ne aliud imponas.

FR. Noli timidus esse

..... Labor omnia vincit Improbis.

[886A]

SAXO. Vincit: quapropter eamus viae quod [Ms., viam, quae] restat.

DE ADVERBIO.

FR. Tandem, Saxo, diu obserata ora reclude, et hucusque clausas adverbiorum regulas enuclea mihi.

SAXO. Faciam, France. Adverbium est pars orationis semper verbo cohaerens: et hoc agit verbis additum, quod adjectiva nomina appellativis adjuncta: ut, prudens homo prudenter agit, felix vir feliciter vivit.

FR. Adverbio quot accidunt?

SAXO. Tria: species, significatio, figura.

FR. Speciem pande.

SAXO. Quia sunt primitiva, aut derivativa. Primitiva quidem sunt, quae a se [ipsis] nascuntur, ut, non, ita, ceu. Derivativa, [886B] quae ab aliis adverbii nascuntur, ut, a clam, clanculum: et a prope, propius. Et ab aliis partibus orationis, ut a nomine Latino, Latine: Tullius, Tulliane. A verbo: a parco, parcius. A nomine et verbo: a pede et tento, pedetentim. A pronomine, ut a me, mecum [Ms., mecum]. Ab ille et hic, illic. A praepositione, ut ab ex, extra.

Fr. Nunquid adverbium per se positum plenum potest habere sensum?

SAXO. Non potest, nisi verbo vel participio jungatur [Edit., legatur], ut, bene lego, bene legens.

FR. Possuntne aliae partes pro adverbii poni?

SAXO. Possunt. Nam nomina per diversos casus pro adverbii ponuntur.

FR. Da exemplum.

SAXO. Genitivus pro adverbio [886C] ponitur, ut Romae, ut Cicero: Romae ne sit. Dativus: vesperi, sorti. Virgilius (Georg. IV, 165):

Sunt quibus ad portam [Al., portas] cecidit custodia sorti. Accusativus: Romam pergo [vel] Athenas. Terentius:

Quid tu, indocte, Athenas?

Ablativus. [Unde] Virgilius (Ecl., VII, 1):

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.

FR. Quomodo discerni potest utrum nomina sint sic composita, an adverbia?

SAXO. Cum nomina loco adverbiorum accipiuntur, manent indeclinabilia, licet diversis jungantur casibus, ut, sublime volans, sublime volantis, sublime volanti, etc. Si vero nomina sunt, declinantur, ut, hoc sublime volans, hujus [886D] sublimis volantis, huic sublimi volanti, etc.

FR. Num aliae partes pro adverbii ponuntur?

SAXO. Ponuntur. Nam vel conjunctio, et, per, et ex praepositiones, pro valde accipiuntur, ut Cicero: Vel magnum bellum, pro valde magnum. Excelsus, pro valde celsus.

DE FIGURIS.

FR. Figurae adverbiorum quot sunt?

SAXO. Tres. Simplex, ut, diu. Composita, ut, interdiu. De composita, id est, quae a compositis derivantur, ut, ab indocto, indocte, a misericorde, misericorditer.

FR. Significatio adverbiorum quae est [Ms., quot [887A] species habet]?

SAXO. Significatio adverbiorum diversas species habet. Sunt enim [Ed., autem] temporalia, ut, pridem, nuper, nudius tertius. Sunt quae praesens tantum tempus significant, ut, nunc, praesto. Sunt, quae praeteritum, ut, heri, hesterno. Sunt, quae futurum, ut, cras, perendie. Sunt alia communia diversorum temporum, ut, olim, dudum, [quondam]. Praeteriti, ut Horat. (Sat. I, I, sat. 8):

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

Praesentis, ut [Virgilius (Georg. II, 403)]:

Ac jam olim seras posuit cum vinea frondes.

Futurum idem Virg. (Aen. II, 207):

... Forsan et haec olim meminisse juvabit.

Dudum: praeteritum, [ut Terentius (And. III, [887B] IV, 3)]:

Ego dudum nonnihili veritus sum.

Praesentis [Virgilius (Aen. II, 103)]:

Idque audire sat est; jam dudum sumite poenas.

Quondam; praeteritum: Quondam fuit ista in hac republica virtus (Cic. I Catil., 3). Praesens Virgilius (Aen. II, 367):

Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.

Futurum: Tempus erit quondam. Similiter ex eo composita; aliquando, nequando, quae in penultimo [Ms. antepenultima] accentum habent, ne duae partes putentur. Sed quando, et quomodo, 291 ubi, unde [Al., unde], qua, quo, interrogativa acciuntur; relativa gravantur per omnes syllabas: et sunt [eorum] [887C] differentiae quatuor. Quo ad locum. Ubi, in loco. Unde, de loco. Qua, per locum. Quando quoque pro causali conjunctione accipiuntur; Virgil. (Aen. I, 265):

Hic tibi, favor enim, quando haec te cura remordet (Ms., momordit).

Quando pro quoniam posuit. Sed et alia sunt localia quatuor differentias habentia. Ad locum: huc, illuc. In loco, hic illic. De loco: hinc, illinc, inde, et ex eo composita: subinde, perinde, exinde, proinde, quae omnia penultimam [Ms., antepenultimam] acciunt. Per locum: hac, illac. Sunt quoque a versum et nomine et pronomine composita [Ms., sunt quaedam unam loci significationem habentia. Ad locum, etc.]. [887D] Ad

locum: Horsum, deorsum, sursum, sinistrorsum, dextrorsum. Itiam versum. Et quorsum, id est, quo versum. Alia dehortativa, ut, ne, quod pro neque, et pro non, et pro valde accipitur. Cicero: Ne dici quidem opus est, pro, neque dici. Terent. Ne dicam dolo, pro, non dicam. Idem: Ne illa illum haud movit, pro, valde illa. Alia confirmativa: profecto, scilicet, quippe, videlicet, nempe. Inveniuntur quoque duae partes pro his poni, ut, quidni, cur ne, sic est, quid istic. Alia, jurativa, ut, aedepol, aecastor, [er]cle, medius fidius. Per quoque praepositio pro his accipitur, ut Virgilius (Aen. X, 596):

Per te, per qui te talem genere, parentes.

Est quoque per confirmativum. Terentius: Tu quoque [888A] perparce. Sic quoque jurativum est. Virgilius (Eclog. IX, 30):

Sic quoque Cynaëas fugiant examina taxos.

Alia optativa, ut, utinam, quod compositum est ex uti et enim [Al., nam]. O et si. Virgilius: Adsis o tandem. Idem (Aen. VI, 187):

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat.

Alia hortativa, ut, eia, aie [Al., age]. Alia remissiva: pedetentim, paulatim, sensim. Alia congregativa, loci et temporis communia, ut, simul, una; in eodem loco et eodem tempore. Alia discretiva, ut, seorsum, secus, separatim, secreto, utrinque [divise] singillatim, bifariam, omnifariam. Alia similitudinis, ut, ceu, quasi velut, velut, veluti, sic, sicuti, ut, uti. Alia [888B] ordinalia, ut, deinde, continuo, protinus, praeterea. Alia intensiva, ut, valde, nimium, prorsus, penitus, omnino. Alia comparativa, ut, magis, minus, ocius, quod a Graeco derivatur.

FR. Nunquid, quae ab aliis derivantur, primitivorum significationem vel qualitatem servant?

SAXO. Servant utique, ut a Tullio, Tulliane; a corpore, corporaliter; ab alio, aliter; a graeco, graece; a viro, viriliter.

FR. Prosequere.

SAXO. Alia sunt numeralia, ut, ab uno semel; a duobus bis, quae sola inaequaliter proferuntur. Caeteri vero numeri a vocibus suis faciunt adverbia, ut, a tres, ter; a quatuor, quater; et sic decies [millies]. Alia demonstrativa, ut, en, ecce. Alia interrogativa, ut, cur, quare, quamobrem. Alia [888C] negativa, ut, non, haud, nunquam, minime est, quando duae partes pro his accipiuntur, ut, nullo modo, nullatenus.

FR. Nunquid adverbia, synonyma vel polyonyma possunt esse?

SAXO. Possunt. Sunt synonyma, id est, dum multae voces unam rem significant; ut, en ecce. Et pene in omnibus significationibus invenies. Polyonyma, ut, ubi, quo, qua, quomodo, quae sunt infinitiva, et interrogativa et relativa. O, quoque diversas habet significationes. Est adverbium vocandi. Virgilius (Aen. I, 528):

O regina, novam cui condere Jupiter urbem.

Est admirandi. Juvenalis (Sat., X, 157):

O qualis facies.....

[888D] Est indignandi, ut, O tempora! o mores! Est et optandi. Virgilius:

Adsio o tandem (Ms., tantum). In aliis quoque multis adverbis invenies multas significationes in una eademque voce; quomodo etiam a contrario in diversis vocibus unam significationem, ut, aliquando, olim, dudum, cito, prope [Ed., prope], celeriter, actutum.

FR. An convenientius praeponuntur adverbium, vel subponuntur?

SAXO. Manifeste aptius praeponuntur, quomodo adjectiva nomina, ut, bonus homo bene agit; fortis imperator fortiter pugnat. Tamen praepostere inveniuntur poni multa, praeter monosyllaba, [889A] ut, non, dum, en, cur. Demonstrativa quoque et interrogativa et hortativa, et similitudinis, vocativa et optativa adverbium praeponuntur, ut, en, ecce, cur, quare, eia, age, ceu, quasi, heus, utinam. En habes, France, de adverbio satis.

FR. Non satis; pausemus tamen ad horam.

SAXO. Pausemus.

DE PARTICIPIO.

292 FR. Surge, Saxo.

SAXO. Quid vis, France?

FR. Ut regulas participiorum pandas mihi velim.

SAXO. Pandam. Sed illa pars parum quid habet obscuritatis. Tamen si quid opus habes, interroga.

FR. Primo interrogandum reor, unde participium dictum sit.

SAXO. Participium dictum est, quia [889B] partem nominis partemque verbi tenet, et medium inter ea locum habet, et semper in derivatione est; quod nulla alia pars orationis habet, dum aliae partes primitivas habent species, unde derivantur, ut, a rege, regalis: a mei, meus: a ferreo, ferreo: a prope, propius: ab ex, extra. Participia vero semper a verbis derivantur, et comparisonem non possunt habere. Si comparantur, transeunt in nomina: ut, amans ab amo verbo veniens. Si facis amans, amantior, amantissimus, nomen est, carens tempore.

FR. Sed unde agnosco an nomen sit vel participium talis dictio?

SAXO. Ex casuum circumstantia. Nam participium casum sui verbi sequitur, ut, amo illum, amans illum. Nomen vero si fiet, casum [889C] verbalis [Al., verbalis] nominis sequitur, ut, amator illius, sic dicimus: amans illius. Vides quod participium accusativo, nomen genitivo jungitur. Sed et participia tempus significant.

FR. Nunquid non quaedam nomina quoque tempus significant, ut annus, mensis, dies, hora, et alia multa?

SAXO. Significant. Sed interest quod nomina illa nihil aliud significant, nisi ipsum tempus per se: participia itaque actionem vel passionem in quolibet tempore fieri demonstrant, non ipsum tempus: Et quod participium exsequitur casus, quos et verba, ex quibus nascuntur: et quod verborum significationes habent, et quod pro verbo ponuntur. Unde quidam participium verbum casuale nominant; quia quod verbo per se deest, id est casus, possidet in participio. [889D]

Ideo in constructione per obliquos casus, ubi verbum jungi non potest, participium loco verbi subit; ut bonus [homo] loquebatur: boni hominis loquentis orationem audivi; bono homini loquenti respondi; bonum hominem loquentem audivi; tu bone homo loquere; a bono homine loquente didici. [Et] ex eo nominativus et vocativus recti casus nominantur, quia per se verbis jungi possunt.

FR. Quam utilitatem habet participium in nominativo et vocativo, si sic verbi loco obliquis jungatur?

SAXO. Quod verba sine conjunctione in nominativo et vocativo conjungere potes. Nam diversa verba sine conjunctione recti [Ms., recte] jungi non possunt, ut, lego, scribo; vel doceo, discis, non est [890A] dicendum; sed, lego et scribo, doceo et discis. Si participium loco prioris verbi ponas, bene sine conjunctione profertur, ut, legens scribo, docens discis. Igitur participium inventum est, ut in nominativo et vocativo sine conjunctione profertur cum alio verbo, ut, legens doceo, pro, lego et doceo: et, legens fac, pro, lege et fac, quae positio intransitiva est. hoc est, ipsam ostendit in se manere personam. Oblivius vero casus participiorum ad hoc sunt utiles, quod non solum sine conjunctione profertur, sed etiam ad alias transeant personas; ut, docentis potior, docenti respondeo, docentem audio, illo docente didici.

FR. Quot accidunt participio [Al., accedunt participiis]?

SAXO. Sex. Genus, casus ex nomine, significatio, tempus ex verbo, numerus, figura ex [890B] utroque.

FR. Quot genera habet?

SAXO. Quatuor. Masculinum, ut, amatus. Femininum, ut, amata. Neutrum, ut, amatum. Omnis generis, ut, hic et haec et hoc amans. Nam commune duum generum et epicoenomena [Al., epicenon] in participio inveniri, natura ipsa prohibet. Cum enim verba, ex quibus nascuntur participia, pariter omnibus jungantur generibus, ut, legit vir, legit femina, legit mancipium: necessario participium, quod ex eo proficiscitur, eidem generibus associatur. Et omne participium in ans vel in ens, praesens et praeteritum imperfectum sive trium generum est; ut, hic et haec et hoc laudans, docens, legens, audiens. Si vero in us finiuntur, praeterita vel futura, mobilia sunt per tria genera, [890C] ut amatus, amata, amatum. Amatulus, amatula, amatulum.

FR. Casus participiorum expone mihi.

SAXO. Casus participiorum sex sunt, sicut et nominum. Nec sunt inventa participia in aliquo casu deficientia, sicut 293 nec nomina mobilia vel in duas desinentes consonantes. Quae enim deficient, fixa sunt; ut, fas [ditione] tabo.

FR. Quomodo declinantur participia?

SAXO. Ad similitudinem nominum in ens desinentium, vel in us mobilium.

FR. Tempora participiorum qualiter currunt?

SAXO. Participia conjuncta habent, sicut verba infinitiva, id est, praesens tempus [Edit., praesentis temporis] et praeteritum imperfectum. **Item** praeterit. [890D] perfect. et

plusquamperfect. pariter, ut: legens scribo, legens scribebam; lectus fui, lectus fueram.

FR. An ex omni significatione verborum omnia tempora inveniuntur in participiis?

SAXO. Nequaquam. Nam cum quinque sint verborum significationes, activa, passiva, neutra, communia, deponentia; participia ab activis quidem et neutris praesentis temporis inveniuntur et futuri; ut amans, amaturus: stans, staturus: sed praesentis participium et substantivum verbum sum, praeteritum perfectum proferimus; ut, amans fui, fuisti, fuit, pro, amavi, amavisti, amavit: et sic per omnes modos in tempore praeterito perfecto et plusquamperfecto. Itaque quod deest naturaliter simplici dictione, impletur [891A] juncturae ratione. Inveniuntur tamen in quibusdam neutris participia praeterita, ut, a coeno coenatus: a prandeo pransus: a placeo placitus: a nubo nupta: a pateo passus. Virgilius (Aen. I, 484):

Crinibus Iliades passis, id est, dispersis. Fit quoque a patior passus: a juro juratus: ab adsuesco adsuetus: a titubo titubatus et talia multa; ut, discessus, interitus, obitus, occasus, potus, enectus [Ed., senectus]. Neutra quoque passiva, quae quinque sunt, trium temporum habent participia; ut, gaudeo, gaudens, gavisus, gavisurus: audeo, audens, ausus, ausurus: soleo, solens, solitus, soliturus: fio, fiens, factus, futurus; differentiae causa, ne si facturus diceretur, a facio verbo putaretur quod vim activam habet, cujus passivum fio est. [891B] Fido quoque, fidens, fisus, fisurus facit. A passiva significatione duo quoque veniunt participia, praeteritum et futurum; ut, amatus, amandus, pro cujus praesenti saepe necessitatis causa auctores praeterito uti inveniuntur. A communi verbo quatuor nascuntur participia; et non mirum, quia activam habet significationem et passivam commune verbum. Et ideo utriusque significationis habet participia; activae, ut, criminans et criminaturus: passivae, ut, criminatus et criminandus. Sed criminatus in utraque invenitur significatione. Sciendum est tibi, o France! quod omnia participia in dus desinentia eadem possunt esse et nomina.

FR. Et quomodo possum, o Saxo! scire, an sint nomina vel participia?

SAXO. Dum nomina sunt, [891C] amittunt tempora, ut olim tibi dixi: ut, docendus sum participium est: ad docendam rhetoricam veni, nomen est. A deponenti trium temporum veniunt participia; praesentis et praeteriti imperfecti sequens: praeteriti perfecti et plusquamperfecti. secutus: futuri, secururus. Sed apud antiquos ex hujusmodi verbis participia praeteriti temporis tam activam quam passivam significationem habentia inveniuntur, ut, meditatus, auxiliatus, amplexatus, amdiniculus, utriusque significationis possunt esse.

FR. Numeros participiorum profer.

SAXO. Numeri participiorum duo sunt. Singularis, ut, currens. Pluralis, ut, currentes. Et sicut non deficient casibus, sic nec numeris defectiva invenies participia.

FR. Figurae participiorum unde veniunt?

SAXO. [891D] A verbis semper, ut ab efficio, efficiens: ab intelligo, intelligens. Nam per se nunquam componitur participium, nisi prius componatur ejus verbum. Si enim ipsa componuntur per se, transeunt in nominum vim; ut, noceo, nocens; innocens nomen est, innocentior faciens: sapio, sapiens; insipiens [insipientior] nomen est. Simplicia enim eorum possunt et nomina et participia esse: composita vero tantum nomina esse.

FR. Memini te dixisse omnia participia esse derivativa a verbis. Velim scire a quibus temporibus vel modis sint derivata?

SAXO. Ab indicativo modo praesentis temporis fiunt participia praesentia, et semper in ans vel in ens desinunt, ut ab amo, amans, [892A] amans: habeo, habens, habens, interposita n secundae personae ultimis litteris. In tertia et quarta conjugatione o conversa in ens fiunt participia, 294 ut, lego, legens; audio, audiens. Praeteriti temporis participia et futuri veniunt a supino verbo u finito, addita s in praeterito; rus in futuro: ut, amatu, amatus, amaturus: coenatu, coenatus, coenaturus: criminatu, criminatus, criminaturus: locutu, locutus, locuturus. Mortuus solum a morior duo u habet. Passiva [Al., participia] vero futura veniunt a genitivo participii praesentis temporis, tis in dus conversa, ut, amans, amantis, amandus.

FR. O si voluisses colligere difficiliora verba cum praeterito perfecto et [Ms., a] supino et participio, quam necessarium esset!

SAXO. Necessarium esset, [892B] sed modum nostri ludi excederet.

FR. Tamen aliqua profer [difficiliora verba]: caetera facilius conjicio.

SAXO. Faciam. Amo, amans, amavi, amatum, amatus. Necto, nectis, nexui, nexum, nexus, et ex eo frequentativum nexo. Et quo, dedi, datum, daturus, a brevi ubique. Oro, oravi, oratum, oraturus. Seco, secui, sectum, secturus. Neco, necui, nectum, necturus: a neco quoque necatum invenitur, sed necatus, ferro occisus, dicitur; nectus vero alio quolibet modo. Plico et plicavi, et plicui facit: ideo et plicatum et plicitum invenitur; ita et ex eo composita: explico, duplico, implico, dupliciter profertur. Nam lavi et cavi et favi differentiae causa a longam in au mutant, ut, lautu et lautus; cautu et cautus; fautu et fautus faciunt, quia latum, et catum et [892C] fatum alias habent significationes. Sto, stas, statum, staturum, longa a cum in nominibus [Al., omnibus] ab eo derivatis ubique brevitur, ut status, stabilis: ut Lucanus (X, 240):

.... Quorum stata tempora flatus.

Juvo, juvi, jutum, longa u. Unde adjutus. Sterno, stravi, stratum, straturus. Edo, edi, esum, esurus; ex quo esurio [esuris]. Eruo, eruis, erutum, eruturus. Cio, civi, citum, citurus. Moveo, movi, motum, moturus. Sedeo, sedi, sessum, sessurus; quod geminat s, ne duae partes putentur. Foveo, fovi, fotum, futurus. Facio, feci, factum, facturus.

Et observandum est tibi, o France, quod pene in omnibus verbis quae

minuunt syllabas in praeterito perfecto, semper penultimas producent, licet in praesenti [892D] correptae essent.

FR. Unde hoc fit?

SAXO. Ut compensent temporibus quod deest in syllabis, ut, sero, sevi, satum, saturus, unde sertus. Sino, sivi, situm, siturus. Pono, posui, positum, positurus. Lino, livi, litum, liturus. Eo, ivi, itum, iturus. Rideo, risi, risum, risurus. Video, vidi, visum, visurus. Ardeo, arsi, arsum, arsurus. Mordeo, momordi, morsum, morsurus. Pendeo, pependi, pensum, [pensu] pensurus. Tondeo, totondi, tonsum, [tonsu] tonsurus. Spondeo, sponodi, sponsum, sponsurus: quod s in secunda amittit syllaba. Candeo, studeo, frondeo [Ed., fundo], splendeo, faciunt supina: canditum, studitum, fronditum, splenditum, licet rarissime a neutris secundae conjugationis [893A] supina vel participia invenias; ut caleo, tepeo, horreo, rubeo, palleo, et caetera talia. Sed non est opus tibi ut quadriformi tramite per singula verba curram. Poteris ex supinis participia intelligere vel ex participiis supina.

FR. Fac, ut placeat tamen, ut obscuriora semper pandas.

SAXO. A pateo, patui, passum nascitur. Meio, mixi, mictum, et, mingo, minxi, mictum, n euphoniae causa amittens: et inde micturus. Flecto [Ms., flexo], [flexis] flexi, flexus, flexurus. Fluo, fluxi, [fluxum], fluxurus. Obsoleo, obsolevi, obsoleto, ab obs et oleo compositum, [non] a soleo. A careo, cassus, cariturus invenitur. Habeo [habui] habitum, habiturus. Cado, cecidi, casum, casurus. Cedo, cessi, cessum, cessurus. [Fodio] fodi, fossam [fossurus]. [893B] Dedi, datum; credidi, creditum; capio, cepi, captum; coepi, coeptum, cujus praesens caepio in usu non est; sapivi, sapitum; peperii, partum, pariturus, et ex eo parturio; orior, ortus, orturus [Al., oriturus]; et morior, mortuus: hoc solum per duo u profertur [moriturus]. Quator, quassum, unde frequentativum, quasso, quassas. Percutio, percussi, percussurus, per duo s. Uro, ussi, ussurus; farcio, farsi, farsum, farsurus; sarcio, sarsi, sarsum, sarsurus; potior, [potitus], potiturus; [arguo] argui, argutum, id est, convictum, arguturus. Ruo [ruis], ruitum [Ms., rutum], ruiturus; loquor, locutum, locuturus. Fruor, fructum facit, sicut, struo, structum, 295 structurus. Caluo, id est decipio, calui, caluitum [Ms., calutum] secundum regulam debet facere: ex eo derivatur calumnia. [893C] Neo, nevi, netum, neturus [Al., neutum, neuturus].

Sciendum quoque tibi est quod saepe ea verba quae in praeterito perfecto v consonantem assumunt, in secunda et tertia persona syncopam patientur, ut, neo, nevi, nevisti vel nesti. Amo, amavisti, vel amasti: et in plurali [amavisti], vel amatis, [amaverunt] vel amarunt. Illa vero quae in praesenti v habent consonantem, non possunt in praeterito syncopam pati; ut, lavo, lavasti; nemo dicit, lasti vel lastis, vel larunt. Ico, ici, ictum, icturus; [vel] brevis i in praesenti et praeterito; [vel] longa, ut, quievi, quieturus. [Linquo] liqui, licu, liciturus; et ex eo, reliqui, [relictum] relicturus. Vinco, vici, victurus. Cresco, crevi, cretum, creturus. Scio, scivi, scitum, [893D] sciturus; et ex eo scisco. Nosco, novi, notum, noturus. Ignosco, ignoturus. Pasco, pavi, pastum, pasturus. Disco, discitum, disciturus. Parco, parsu,

parsurus. Paciscor, pactum, pacturus. Proficiscor, profectum, profecturus. Expergiscor, praeterito, experrectus [Edit., expergitus sum], experrectus, experrecturus. Nanciscor, nactus sum, nactum, nactus, absque n. Pangor, pactus, pactus. Fingor, fictus, ficturus. Tangor, tactus, tacturus. Jungor, junctus, juncturus. Fungor, functus, functurus. Plangor, planctus. Angor, anctus; praeteriti participium faciunt. Sic et ulciscor, ultus: Irascor, iratus: Defatiscor [Ms., defiscor], defessus, id est, fatigatus; nam a deficio defectus fit participium. Comminiscor [894A] commentum: adipiscor adeptum. Tundo, tutudi, tunsurus. Rado, rasi, [rasum] rasurus. Credo, creditum, crediturus. Cado, casum a producta. In omni enim supino et participio praeteriti temporis a producitur in penultima, exceptis datum et statum, et satum. Findo, fidi, fissum, fissurus. A comedo quoque comesum et comestum invenitur. Ostendo, ostentum vel ostensum, ostensurus. Mergo, mersi mersum, mersurus. Tergo, tersi tersum, tersurus. Pungo, pupugi vel punxi, punctum. Ago, egi, actum, acturus. Pango, pepigi, pactum, et ex eo impingo [impegi]. Fingo, finxi, fictum. Stinguo, stinxi, stinctum; et ex eo exstinguo. Ango, [anxi] anctum, anxurus. Cogo, coegi, coactum. Veho, vexi, vectum. Psallo, psalli facit, cujus nec supinum nec participium [894B] legi. Vello, vulsi, vulsum. Pello, pepuli, pulsum. Alo,alui, alitus vel altus. Tollo, sustuli, sublatus, sublaturus. Como, compsi, comptum, compturus. Demo, dempsi, demptum [dempturus]. Sciendum est tibi quod hujusmodi positionibus litterarum ubique inter m et tum p ponendum est.

Vomo, vomui, vomitum. Premo, pressi, pressum, pressurus. Cano, cecini; ex eo, occino, occinui, occentum. Succino, succentum. Temno, tempsi, temptum [Al., contempno, contempsi, contemptum]. Creo, crevi, cretum; ex eo et do verbo, credo componitur, quasi certum do. Lino, [lini et] livi; vel linio, litum, liturus. Sciendum est quod tam [Ms., tamen] litum et itum, et ex eo composita, obitus, praeteritus, et situm, et queo, quitum, et a cio, citum, a nequeo, nequitus, corripuit [894C] penultimas, quod in aliis supinis et participiis, quae a praeteritis in vi terminantibus non invenies; ut, amavi, amatus; movi, motus; cupivi, cupitum; nevi, netum. Rumpo, rupi, ruptum. Verro, [versi vel] verri, versum, versurus. Quaero, quaesivi, quaesitum. Reor, ratus; exsero, exserui, exsertum, exserturus [Ms., Exero, exerui, exertum, etc.]. Meto, messui, messum, messurus. Mitto, misi, missum, missurus per duo ss, cum misi per unum debeat scribi. Peto, petivi, petitum, longa penultima. Texo, texui, textum. Nexo, nexui, nexum. Farcio, farsi, fartum; unde fartores: sicut a sarcio, sarsi, sartum, sartores. Sentio, sensi, sensum. Raucio, rausi, rausum. Sepio, sepsi, septum. Venio, veni, ventum, venturus. Pario, peperii, partum, parturus. Scio, scivi, scitum, penultima [894D] ubique longa, ut auditus, munitus, accessitus; nisi in praenominatis [Ms., praenotatis]. Sepelio, sepelivi, sepultus, sepulturus. Salio, salui [Ms., salivi], saltum. Salio a sale, salivi, salsum, salsurus; Participium quoque ex eo praeteritum est, salitus et salsus [vel sallus]. Ambio, ambivi, ambitum; et ex eo ambitus nomen, correpta penultima

296 **FR.** Cur hoc?

SAXO. Quia ambio ab eo verbo compositum est. Nam verbalia nomina a secunda venientia conjugatione penultimam habent brevem; ut, habitus, monitus. Memorandum quoque tibi est, impersonalia supinis et participiis defecisse, nisi raris; ut a poenitentia; et a licet licentia et licitus: et a libet, libens.

DE CONJUNCTIONE. FR. Nunc ordo partium flagitat ut de conjunctione dicas.

SAXO. Conjunctio est pars orationis indeclinabilis, conjunctiva et significativa [Ms., consignificativa], aliarum partium vim et ordinationem demonstrans.

FR. Quomodo vim et ordinationem demonstrans?

SAXO. Vim, quando aliquas res simul significat, ut, et pius et fortis fuit Aeneas. Ordinationem, quando consequentiam aliquarum demonstrat rerum; ut, si ambulat, movetur; sequitur enim ambulationem motus.

FR. Quot accidunt conjunctioni?

SAXO. Tria: figura, et species, et ordo. Figura simplex, ut: at, et, sed. Composita, ut: atque, etenim, sedenim. Haec [895B] enim ex accentu composita esse noscuntur.

FR. Da specierum quoque rationem.

SAXO. Species, quas Donatus potestatem nominat, secundum eum quinque sunt: copulativa, expletiva, causalis, disjunctiva, rationalis. Secundum Priscianum plures. Sed haec quinque species principales sunt, aliasque in se continentes species.

FR. Pande singularum exempla specierum.

SAXO. Copulativae sunt, quae copulant tam verba, quam sensus, ut: et, que, at, atque, ac, ast. Disjunctivae sunt, quae quamvis dictiones jungant, sensus [Al. sensu] tamen disjungunt, et unum e duobus esse significant, ut: vel, ve, ne, nec, neque, [aut]. Expletivae sunt quae vel bonum vel malum explent [895C] sensum, ut: quidem, equidem, saltem [Al., saltim], videlicet, quanquam, quamvis, quoque, autem, porro, scilicet, tamen. Causales sunt, quae causam antecedentem significant, ut: doctus sum, nam legi; si sol est, jam lucet. Causa enim luminis sol est. Et sunt haec: Si, etsi, etiamsi, siquidem, quando, quandoquidem, quinetiam, quatenus, sin, seu, sive [neve], namque, ni, nisi [nisi si], enim, etenim, ne, sedenim, interea, quomobrem, praesertim, item, itemque, ceterum, alioquin, praeterea. Rationales sunt, quae rationem rei reddunt, ut: ita, itaque, quoniam, enim, etenim, enimvero, quia, quare, quapropter, quoniam, quidem, quippe, ergo, ideo [igitur], scilicet, propterea [videlicet].

FR. Ordo conjunctionum in quo est?

SAXO. [895D] Quia aliae sunt, quae semper praeponuntur, ut: at, ast, aut, ac, vel, nec, neque, si, quia, quatenus, sin, seu, sive, ni [nam]. Aliae supponuntur, ut: quidem, quoque, autem. Aliae pene omnes indifferenter et praeponi et supponi possunt, ut: ergo, igitur. Inveniuntur quoque saepe conjunctiones in aliarum

conjunctionum potestatem transire, ut: vel distinctiva conjunctio pro copulativa ponitur, ut Terentius.... Vel rex, pro, etiam rex. Inveniuntur quoque aliae partes pro conjunctione poni; nomina, ut: qua causa? qua gratia? quam ob rem? Verbum, ut; quamvis, et licet pro quanquam Virgilius (Aen. XI, 348):

Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque minetur.

[896A] Sunt quoque conjunctiones dubitativae, ut: ne, nec, anne. Virgilius (Aen. III, 39; XI, 126):

Eloquar an sileam.... ?

Justitiaene prius mirer, belline labores?

Sunt [Ms., fiunt] eadem interrogativae, ut (Aen. X, 668):

Tantone me crimine dignum

Duxisti?

Fiunt et electivae, quando ex diversis rebus aliquid eligitur, ut: Dives esse volo, quam pauper. Fiunt et adjunctivae, cum verbis subjunctivis adjunguntur, ut: si, cum, ut, dum, quatenus. Ut: Si venias, facio:

Cum faciam vitula pro frugibus, ipsa venito :

Ut prosit tibi, facio:

Multi quoque et bello passus, dum conderet urbem ;

[896B] Quatenus id libenter facio. Possunt et hae ipsae causales esse.

FR. Sed unde sciam ad quam speciem pertineant?

SAXO. Adjunctivae cum dubitatione profertur: causales cum affirmatione, ut: Eris doctus, si legas. 297 Sunt, quae diminutionem significant, ut (Aen. IV, 327):

Saltem, si qua mihi (soboles) de te suscepta fuisset.

Fiunt et continuatae [Ms., continuativae]; ut: si ambulat, movetur; continuat enim ambulationem motus. Hae et aliae species in Prisciano reperiuntur, quae tamen incidere possunt in praedictas quinque. Sed nunc haec habeto de conjunctionibus.

DE PRAEPOSITIONE.

[896C] **FR.** Praepositio quid est?

SAXO. Pars orationis indeclinabilis.

FR. Quid habet officii?

SAXO. Ut aliis praeponatur partibus vel appositione, vel compositione.

FR. Appositione quomodo?

SAXO. Quando foris apponitur dictioni; et hoc, nomine vel pronomine; casu accusativo vel ablativo, ut: ad hominem; vel, ab homine: ad illum, ab illo.

FR. Quomodo per compositionem?

SAXO. Quando cum aliis partibus [componitur] in unam dictionem, ut nomine [Ms., nomini], per omnes casus: ut, inductus, inducti, inducto, inductum, inducte, ab inducto. Pronomini non componitur. Verbo componitur, ut, induco, expleo. Participio per derivationem vel consequentiam [896D] compositorum verborum, ut, inducens, explens. Adverbio quoque per compositionem jungitur, ut, perinde, abhinc, deinceps. Nam et [in] seipsa [Ms., in semetipsam] per compositionem nectitur, ut, imperitus [Ms., imperterritus]. Loco etiam conjunctionis causalis [Edit., casualis] solet accipi, ut, per desidiam

malitiae nascuntur, id est, causa desidia; similiter propter et ob poni possunt.

FR. Si unquam supponuntur praepositiones?

SAXO. Etiam, sed raro. Et hoc euphoniae causa, id est, [bonae] sonoritatis, ut in pronomibus, mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum. Sed et poetica auctoritate in metris praepostere poni eas invenies, [897A] ut: Maria omnia circum, et ibi finalis syllaba acuitur, ne nomen putetur.

FR. Habent praepositiones accentus per se?

SAXO. Habent acutum accentum in fine, tam apud Graecos, quam apud Latinos; qui tamen in gravem semper vertitur, quia praepositio ubique sequenti dictioni seu per appositionem, seu per compositionem adnectitur, et quasi una pars cum ea profertur. Inveniuntur quoque praepositiones in media poni dictione, ut, qua de re, quam ob rem, qua in parte.

FR. An omnes praepositiones componuntur?

SAXO. Quaedam sunt, ut nunquam componantur, ut, apud, erga, citra, circa, extra, infra, juxta, pene [Al., pone], prope, secundum, ultra, supra, circiter. Quaedam sunt quae nunquam separantur, ut, con, di, dis, [897B] re, se, an [Ms., am]. Aliae pene omnes componuntur et separantur. Et aliae sunt quae in compositione collisionem patiuntur a consequenti vocali, ut, coago, coarguo, coarto, coaequo. Aliae sunt quae consonantem d pro sequenti vocali assumunt, ut, emo, redimo; ago, redigo; prodes, prodest. Quaedam syncopam patiuntur, ut, supra pro supera, extra pro externa, infra pro infera. Sed et diversis modis praepositiones in compositionibus alias partes corrumpunt, et ipsae corrumpuntur, quod saepius est, quam exemplis indigeat.

FR. Possuntne praepositiones in alias transire partes?

SAXO. Possunt.

FR. Da exempla.

SAXO. Post, praepositio est. Virgilius (Georg. III, 213):

[897C] Post montem oppositum;
transit in adverbium. Idem (Aen. I, 140):

Post mihi non simili poena commissa
luetis.

Ante praepositio. Virg. (Georg. I, 125):

Ante Jovem nulli subigebant arva
coloni;
transit in adverbium:

Ante, et Trinacria tentandus remus in
unda.

Sic supra, contra, prope, transeunt in
adverbia.

FR. Si aliae partes in praepositiones transire possunt?

SAXO. Possunt. Nam adverbia saepe transeunt in praepositiones, ut: pridie Kalendas. Pridie hoc loco praepositio est. Subtractae quoque nominibus quibusdam loco adverbiorum faciunt nomina accipi, [897D] ut, domo venio, pro, a domo. Et: domum eo, pro, ad domum.

FR. Separatae praepositiones quibus casibus junguntur?

SAXO. Accusativo et ablativo.

298 **FR.** Accusativi praepositiones quae sunt?

SAXO. Monosyllabae hae: Ad, ob, per, post, cis, trans. Dissyllabae: Apud, ante, citra, circa, erga, extra, inter, intra, juxta, prope, pone, praeter, propter, ultra, usque, penes. Trissyllabae: circiter, adversum, secundum.

FR. Num singulae certas habent significationes?

SAXO. Non certas, sed diversas. Sed longum est earum significationes explanare.

FR. Dic tamen, et quanta brevitate possis, succinge [898A] te [Al., succingere].

SAXO. Dicam. Ad juxta significat in compositione, vel appositione, ut, ad currum, pro, juxta currum; ad Trojam, pro, juxta Trojam. Significat quoque contra; ad illum mihi pugna est, hoc est, contra illum. Accipitur et pro usque: ad bellum Persicum, hoc est, usque bellum. Ob et pro et contra et circum significat; ut: haudquaquam ob meritum, id est, pro merito. Ob unius, contra unius: obambulo, circumambulo. Per est et localis, ut: Per medium forum. Est et temporalis, ut: Per medium diem. Est et jurandi, ut:

Per te, per qui te talem genuere parentes.

Adverbii quoque valde vim obtinet [Ms., continet]. Terentius: Percitus puer, id est, valde scitus. Abnegationem [898B] quoque significat in compositione, ut, perfidus. Post componitur et separatur, et locum significat. Virgilius (Georg. III, 213): Post montem oppositum. Significat et tempus, ut, post multum tempus. Cis localem habet significationem, ut, cis Alpinam Galliam. Et pro ultra accipitur, ut, cis definitum tempus, hoc est, ultra. Et ex eo, citra. Trans componitur et separatur, ut, transfero, et trans Padum. Et in compositione saepe n et s amittit, ut, traduco, trado, trano. Et pro super ponitur; ut, transgressus, id est, supergressus. Apud locum significat, ut, apud Numantiam. Ante locum et tempus significat, ut, ante janam, ante annum. Derivantur ex eo antiquus, antiquarius, nomina. Citra pene eandem significationem habet quam cis, nisi [898C] quod propriis nominibus cis, et appellativis citra, saepius praeponi solet: cis Rhenum; cis Alpes: citra forum. Et a cis, citra derivatur; a citra, citer, citerior, citissimus. Circa, loci et temporis, pro juxta ponitur [Ms., positum invenitur], ut circa templum, et circa viginti annos. Circum componitur et apponitur, ut, circumfero, circum mare. Circiter ad tempus solum pertinet, ut, circiter Kalendas Januarias. Erga non componitur, et affectum significat, ut, bonus est erga propinquos. Contra separatur et componitur: contra adulterium, et contradico. Extra apponitur, ut, extra me. Inter, utrumque, ut, inter amicos, intervallum, interpres, cujus simplex in usu non est. Et ab in inter et intra nascuntur; a sub subter, a pro propter, a cis citra, ab ex extra, a prae praeter. Juxta [898D] pro prope ponitur, ut, juxta te, id est, prope te. Secundum duas habet significationes: proximitatem et aemulationem: secundum eum sedeo,

et secundum mores ejus vivo. Haec de praepositionibus accusativi casus, quae difficiliores videbantur, dicta tibi sufficient.

FR. Sufficiunt. Sed ad ablativum te totum fer.

SAXO. Ablativi praepositiones monosyllabae hae sunt: A, ab, abs, e, ex, de, pro, prae, cum.

FR. Quare non addidisti, clam?

SAXO. Quia magis adverbium est, qualitatem significans, [et] diminuitur contra praepositionum naturam; clam, clanculum. Et sine casu proferri potest, ut, bona aperte facit, mala clam.

[899A] **FR.** Sequere caeteras.

SAXO. Dissyllabae: coram, palam, sine, absque, tenus.

FR. Potestates singularum expone.

SAXO. A et ab et abs et e et ex eandem fere significationis vim habent. Nam et locales, et temporales, et ordinales similiter inveniuntur, ut, est a domo, a die, a te; sic et caetera. Sed a et e saepius consonantibus praeponuntur, ut, a templo, e culmine. Alia utrumque et vocalibus et consonantibus, appositione et compositione junguntur, ut, abito, ab illo, abduco, ab hora. Et saepe b euphoniae causa in aliam mutabitur litteram; in r, ut, arripio; in u, ut, aufero; in s, ut, asporto. Ex quoque pro extra poni invenitur, ut, excludo, pro extracludo: Exsul, [id est], extra solum. Modo pro valde [adverbio], ut, excelsus, id est, [899B] valde celsus. Modo privativum est vel intensivum vel perfectivum, ut, exstirpo, extendo, expleo. E in compositione privativum est vel intensivum et pro extra accipitur, ut, enodes trunci, enarro, educo. Derivatur ab abs, absque. Nam que, quando 299 vim et significationem conjunctionis non habet, syllaba est, non pars orationis, quomodo in ubique, undique, denique, itaque, utique, uterque, plerumque, et ideo accentum non mutant. De prima syllaba additio syllabica est, non conjunctio, ut in pronomine ce et met, et te. De memorativum est, et intensivum, et privativum: de homine, detraho, desum. Pro in appositione et compositione localis [est] et temporalis: pro templo, provideo. Et loco e et super, vel ante, vel ad vel in accipitur: Prominet, [pro eminent, vel pro] supereminet. [899C] Pro curia signa sociis dare, id est, ante curiam. Virgil. (Aen. V, 500):

Tum validis flexos incurvant viribus
arcus

Pro se quisque viri,
id est, ad suas vires. Pro testimonio, id est, in testimonium. Et pro interjectione accipitur, ut, proh dolor, et circumflectitur. Prae in appositione vel compositione invenitur, et, ad vel ob vel super, vel valde vel ante significat. Terent.: Contempsit illum hic prae me, hoc est, ad comparisonem mei. **Item:** fit misera prae amore, id est, ob amorem. Praesideo [id est] supersedeo. Praevalidus, valde validus. Praedico, ante dico. Cum praepositio est copulativa, ut, cum ducibus vado. Et nunquam componitur, quia con in ejus loco [899D] in compositione ponitur; ut, concurro, contraho. Et sciendum est quod con et in tunc mutant n in m, quando b vel m vel p sequitur, ut, comburo, imbuo, comminus, immunis,

compello, impello. Tunc n convertunt in sequentes consonantes, quando l vel r sequitur, ut, collido, illido, corripio, irruo. Cum quoque postponitur quibusdam pronomibus euphoniae causa, ut, mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, et antepenultima in his elevatur; aliis postposita acuitur, ut, quocum, quacum, quicum, quibuscum. Coram ad personas pertinet, ut, coram me, te, se. Palam ad omnia accipitur, ut, palam omnibus. Sine [900A] et absque negativa sunt, ut, sine homine, et, absque homine. Et sine anteposita gravatur, ut; sine timore. Postposita acuitur, Virgil. (Aen. X, 31):

Si sine pace tua.

Tenus postponitur, ut hactenus, et genitivo quoque jungitur, ut:

... Crurum tenus a mento palearia
pendent.

Ecce habes praepositiones.

FR. Habeo utcumque: sed non habeo utriusque casus quatuor communes.

SAXO. Quid de illis quaeris, nisi quod Donatus dixit, quod accusativa sunt in et sub, dum ad locum ire aliquem: tum ablativum, cum in loco esse aliquem significant [Ms., significamus], ut, in urbem vado, in urbe sum. Sub culmen [900B] eo, sub culmine sum.

FR. Hoc placet, sed plus quaero.

SAXO. Quid a me quaeris, si tibi Donatus non sufficit?

FR. Non a te tanta quaesisses, si Donatus mihi suffecisset [Ms., sufficeret].

SAXO. Nam in, si pro contra vel ad: et sub, si pro ante vel pro per ponitur, accusativo jungitur, ut, in hostem, hoc est, contra hostem. Et, in puppim rediere rates, pro: ad puppim.

Sub lucem exornant (Al., exportans) calathis,
pro, ante lucem. Et:

..... Sub noctem cura recursat,
pro, per noctem. In modo in compositione privativum est, ut, injustus, improbus: modo intensivum, ut, imprimo, incuso. Sub est et localis, ut, subeo, subpono. [900C] Est et diminutivum, ut, subrideo, id est, paululum rideo; subtristis. Et in sequentem mutat b consonantem, si c, vel f, g, m, vel p sequitur, ut succumbo, suffero, suggero, submitto [Forte, submitto], suppono. Super, si pro supra ponitur, accusativum est, ut,

Saeva sedens super arma,
id est, supra. Si de vel in significat, ablativum est, ut:

Multa super Priamo rogittans.

hoc est, de Priamo. **Item:**

Fronde super viridi,

id est, in viridi. **Item** subter accusativum est, ut subter terram. **Item** ablativum, subter densa testudine.

FR. Unde dicuntur quaedam praepositiones loquellares?

SAXO. [900D] Quia semper in compositione loquelis, id est dictionibus, componuntur, et sunt sex: di, dis, re, se an [Ms., am], con, ut, diduco, distraho, recurro, recubo, amplector, congero [Ms., congerior]. Di quidem et dis separativa sunt, et eandem significationem habent quomodo ab et abs. Ut, divido, distraho. Et dis componitur, quando

sequitur c, f, p, s, t et i loco consonantis, ut, discurro, differo, diffundo, s in f mutata euphoniae causa; disputo, dissero, distraho, disjungo. In aliis consonantibus di praepositur: diduco, digero, diluo, dimitto, diruo; et ubique [901A] di producitur, praeter dirimo, disertus. Re videtur a retro per apocopam factum, sicut ipse sensus probat. Quid est respicio, nisi retro spicio: revertor, retro vertor? 300 Se separativa est, ut, separo, sejungo. Est et abnegativum, ut, secus. Et a se, seorsum; sicut a de deorsum, et a super sursum adverbium venit. Am circulo vel circa significat, ut, amplector, amputo, ambio: In quo etiam additio b consonantis fit [Ms., additio b consonante], propter m. Con pariter significat, ut, [coneo], et loco cum praepositionis ponitur, ut, concurro, conjungo. Ecce habes de praepositione, quantum brevis disputationis sinebat.

FR. Habeo quod placet. Sed parvum [Al., parum] viae, quod restat, peragamus [Ms., pergamus].

SAXO. [901B] Pergamus. Et tu more tuo praecedere interrogando; sequar ego respondendo.

DE INTERJECTIONE.

FR. Interjectio quid est?

SAXO. [Est pars orationis...] Heu! quid interrogas de interjectione? [902A] Quantas me audisti incondita voce proferre, dum ante pedes magistri jacui?

FR. Audivi et timui, motumque animi in exclamazione vocis intellexi. Attamen reor diversas esse interjectionum significationes, sicut diversi sunt motus animi.

SAXO. Sunt, ut dicis. Et aliae sunt gaudii, ut, Evax. Aliae risus: Ha, ha, he. Aliae respundi, ut, Phy, ehoë. Aliae hortandi, ut, Eia. Aliae illudendi, ut, Euge. Aliae doloris, ut, Vae, heu, ei. Ut: Hei mihi, qualis erat! Aliae exsecrandi, ut, Ah! [Virgilius (Ecl. I, 15)]:

.... Ah silice in nuda connixa reliquit.
Aliae timoris, ut, at. Terent. (Eun. IV, VIII, 18):

At at mihi homo formidolosus es.
Aliae admirandi, ut, Papae [Ms., Pape]. Terent. [902B] (Eun. II, II, 48):

Papae! haec super ipsam Thaidem?

FR. Quid de accentibus earum dicis?

SAXO. Quid aliud, nisi quod incerti [sunt] et pro affectus qualitate longius et brevius, acutius et gravius incondita voce proferuntur.

OPUSCULUM SECUNDUM. DE ORTHOGRAPHIA.

301 MONITUM PRAEVIUM. Beatum Alcuinum de Orthographia scripsisse diserte testatur Vitae illius scriptor. Similiter Trithemius, libro XI de Viris illustribus O. S. Ben., cap. 26, et Joannes Baleus Anglus, Cent. XI Script. Brit., inter Opera Alcuini recensent librum unum de Orthographia. Latuit vero hoc scriptum

omnes etiam solertissimos bibliothecarum veterum scrutatores ad hoc usque tempus; nec quae illius forma, methodus aut conditio esset, quisquam novit vel prodidit; adeo, ut celeberrimus Cave illud inter deperdita recensere non dubitaverit. Nos, cum vetustissimum codicem ms. bibliothecae illustrissimi metropolitani capituli Salisburgensis, numero 71 subnotatum, et circa initium saec. IX exaratum evolventes incideremus in opusculum orthographicum, inter genuinas epistolas Alcuini ibi descriptas comprehensum, opinari coepimus idipsum esse opusculum beati Alcuini hucusque desideratum. Nec opinio, ut confidimus, [901D] nos fefellerit; idem namque opusculum aequae vetusta manu scriptum sub nomine Albin magistri ab amicis ac sodalibus nostris San-Maurianis repertum fuit in bibliotheca Regia Parisiensis, in cod numero 4841 notato, cui cur fides non adhibeatur, nulla plane causa aut ratio succurrit. Enimvero cum certum sit ex Vitae scriptore pene coaevo, Alcuinum de Orthographia scripsisse; de hac vero arte exstet in laudato codice ms. Regio ejusdem pene aetatis opusculum de Orthographia, Albino magistro seu Alcuino inscriptum, quis jam vel leviter haerere possit quin idem huic scriptori tanquam vero parenti sit attribuendum? Accedit quod nihil ibi reperitur quod [902C] stylo Alcuini aut aevo illius repugnet: quin imo multa hic inserta sunt quae Alcuinus etiam alibi asseruit. Sic in Expositione psalmi CXVIII, vers. 147 (Tomo I, 615), ait: »Immaturitas nocturnum tempus est, quod non est maturum, id est opportunum, ut agant aliquid vigilando; quod etiam a vulgo dici solet hora importuna;« quae verba etiam infra habentur sub litt. I. Similiter in Expositione psalmodum gradualium, v. 5 (620): »Incola, inquit, est, qui terram alienam colit;« quod nomen eodem modo infra sub eadem litt. I exponit: »Indigena, inquit, inde natus; incola aliunde veniens.«

His ergo rationibus persuasi, hoc de Orthographia opusculum tanquam genuinum Alcuini fetum primo vulgamus ex binis codd. mss., uno Regio Parisiensis, qui tamen in fine mutilus est, ut infra sub litt. R adnotamus; altero Salisburgensi, additis lectionibus nonnunquam differentibus. Cumque Ven. Beda similiter librum de Orthographia scripsisset tom. I Operum, [902D] edit. Basil. (Patrologiae tomo XC), et Alcuinus inde nonnulla mutuaverit, non omitemus ea quae Ven. Bedae sunt, his [] notis distinguere. Credam librum de Orthographia, qui exstat in Anglia Cantabrigiae in collegio Corporis Christi, relatum a Thoma Tannero, Bibl. Britannico-Hibernica, pag. 21, non esse alium quam quem hic vulgamus, cum idem habeat cum nostro initium, scilicet Aeternus, aetas per ae diphthongon, etc. Sed illius videndi nulla nobis via patuit.

LITTERA A. ME LEGAT ANTIQUAS VULT QUI PROFERRE LOQUELAS, ME QUI NON SEQUITUR, VULT SINE LEGE LOQUI.

Aeternus aetas [per ae diphthongon] aequitas, aevum [903A] aequus, id est, justus per duo u. Sed tamen haec omnia per ae diphthongon scribenda sunt. Equus si animal significat, per simplicem e scribi debet. [Aula Latine domus regia est, et per a scribitur. Aule per simplicem e, Graece atrium dicitur.

Ideo in psalmo ubi legimus: Adorate Dominum in aula sancta ejus (Psalm. XXVIII, 2), non palatium aulae nomine, sed atrium Graeco vocabulo debet intelligi.] Aulea per e si tentoria significat. Unde et in Isaia juxta LXX interpretes: Dilata locum tabernaculi tui, et AULEAS tuas confige. Actuarii cum u, id est, diversis actibus occupati dicuntur. Actarii vero scriptores actorum appellantur [Ms. Reg., Actuarii... dicitur].

302 [Ante praepositio multa significat; nam et tempus significat, cum dicitur: Ante diem festum Paschae [903B] (Joan. XIII, 1). Et praesentiam significat, ut: Ante conspectum gentium revelabit justitiam suam (Psal. XCVII, 2), id est, coram gentibus. Et dignitatem, ut: Posuit Ephraim ante Manasse (Gen. XLVIII, 20). Et: qui post me venit, ante me factus est (Joan. XV, 27), id est, mihi praelatus.]

Arguo, argui et argutum, id est, convictum, faciunt arguturus. Amo, amavi, amasti faciunt, et saepe illa verba, quae in praeterito perfecto v consonantem assumunt, in secunda et tertia persona syncopam patiuntur, ut, neo, nevi, nevisti vel nesti. Illa vero quae in praesenti v habent consonantem, non possunt in praeterito syncopam pati, ut, lavo lavasti [Ms. Reg., lavisti], nemo dicit: lasti, vel lasti sunt. Adipiscor adeptus sum facit. Accusso per duo c et per duo s scribi [903C] debet. Accedo per duo c. Saepae ab euphoniae causa in sequentem mutabimus [Ms. Reg., mutabitur] consonantem, ut afficio, affluo, allido, ammoneo, annuo, appono, arripio, assumo. Alligo per duo l. Annuo per duo n. Apparo [Ms. Reg., appareo] per duo p. Attuli per duo t scribi debent. At si conjunctio est per t scribendum est; si praepositio, per d. Atque item conjunctio composita per t similiter scribendum. Apud praepositio in d finiatur. Ab artu artubus; ab arte artibus. Similiter ab arcu arcubus; ab arce arcibus dicendum est. [Aeger animo; Aegrotus corpore: utrumque per diphthongon scribitur]. Alibi, alio loco. Alias, alio tempore significat. Aer dissyllabum est, et non habet pluralem numerum, nisi aera tantum. [903D] Aes monosyllabum est. Aufero, id est, abfero, b in u mutata.

Ad praepositio corrumpitur, si sequens verbum a consonante incipit, ut: apponit, ammittit. Allium et dolium per i scribenda, ut, Virgilius (Eclog. II, 11): Allia serpellumque. Acer facit pluraliter acria [Ms. Reg., acri]. Acris facit pluraliter acres.

[Audacter Latinum est; sed audaciter melius, quia nomina x littera terminata in adverbis r et i assumunt, ut, atrox, atrociter; ferox, ferociter. Accersit, qui evocat. Arcersit, qui accusat.]

Acervus, per u, cujuslibet rei congeries est, forte lapidum vel frugum. Acerbus per b immaturus aut asper. Alia sunt quae per duo u scribuntur, quibus [904A] numerus quoque syllabarum crescit. Similiter enim [Ms. Reg., Simili enim] vocali vocalis adjuncta non solum non cohaeret, sed etiam syllabam auget, ut, ingenuus, arduus, exiguus, et vacuus, quod per c non per q scribendum est. Eadem divisio in verbis quoque est, ut, metuunt, statuunt, tribuunt, acunt, quod per c quoque non per q scribendum est.

Aspiro, aspicio, sine d scribenda sunt per simplicem s [Ms. Reg., Asspiro, aspicio per duplicem s], licet cum ad praepositione composita sint, quia perit ibi d. Apparet, quod videtur, per p. Adparet, quod obsequitur per d, non regulae ratione, sed discretionis causa. Arbor, omne lignum dicitur. Arbusta, non nisi fructifera.

Avena, si ad germen, sine h per v scribendum est. [904B] Habena, si ad retinacula jumentorum, per h et b scribitur. [Advocatur daturus patrocini. Evocatur praebiturus obsequium. Invocatur praestaturus auxilium. Adportare est aliquid adferre. Asportare, auferre aliquid. Comportare simul portare in unum locum. Deportare deponere. Exportare tollere.]

Album natura; candidum cura facit. [Armarium, ubi quarumcunque artium instrumenta servantur. Armamentarium, ubi tantum tela armorum. Accedit, per e ab ambulando. Accidit per i ab eventu.]

Ante praepositio interdum integrum [Ms. Reg., integra] manet, ut, antecedit, antevenit. Interdum mutatione e in i litteram corrumpitur, ut, anticipat.

A et ab et abs praepositiones unius significationis sunt, ut a me, ab homine, abstuli. Sed ab saepissime [904C] scribitur, cum sequens verbum a vocali incipit, ne dictio multis consonantibus oneretur, ut, ab uno. Si vero a consonante pars orationis incipit, a solum ponatur, ut, a fratre. Abs tamen in compositione saepius propter euphoniae integra manet, ut abs te, abscondo, melius sonat, quam ab te, vel abcondo; sicut melius sonat ab urbe, quam abs urbe.

303 Avunculus per duo u, quia ab avo diminutivum est, uo syllaba in uun conversa. Alvus, cum ventrem significat, per u digammon, cum vero colorem [Ms. Reg. addit: quod est albus], per b scribitur. Ara cum altare significat, sine h aspiratione; cum vero cubile porcorum, cum aspiratione scribitur. Aemulus et aedituus et aerumna omnia per diphthongon scribuntur. Aequimanus per ae quoque, id [904D] est, ambidexter, qui utraque manu utatur pro dextera. Avarus, si vitium significat per u. Si gentem [Ms. Reg. addit: quod est Abari] per b scribatur. Acclamo per duo c, id est, cum falso aliquem accuso. Reclamo, aliquem exeuntem vocitans. Inclamo, et succlamo, murmurandi est; perclamo [Ms. Reg., proclamat], laudandi vel deprecandi exaltatio; declamo [Ms. Reg., proclamo] rhetorizandi. Exclamo, quando pro viribus vocem exalto. Alea si ludum significat per e; si ab alius alia venit, per i legitur.

Amittit per unum m, id est, relinquit. Ammittit per duo m, id est, assumit. Ideo inmissa dicendum est, amitte te, vel admitte [Ms. Reg., inmissa dicimus [905A] amitti, ut admitte]. Affatim per duo f, id est, statim, vel satis. Agger per duo g scribendum est, quando stratam significat; si autem campum, ubi seminari potest, per unum g.

Accentus per duo c, ubi vox levatur [Ms. Reg., elevatur] in verbo. Angor, id est, angustiam patior, per n et g scribendum est. Aeripedem, id est, velocem per a et e divisas dicendum est. Allecti per duo l, id est, electi, inde allegit dicitur. Allicit, id est, invitat, similiter. Altalia, quasi alatilia, id est,

aves saginatae. Attonitus per duo t, id est, intentus vel stupore diffusus. Attingit per duo t scribatur.

LITTERA B.

Benedictio et oratio t debent habere in pene ultima [905B] syllaba, non c et alia similia. B in s mutatur sequentibus t et c, ut, sustulit, suscipit. Benificus ab adverbio bene compositum per b scribatur, veneficus a veneno per u. Bis adverbium per b, vis nomen per u scribendum est [Ms. Reg., scribitur, ut haec vis, hujus vis, huic vi]. Bile si fel significat per b, si abjectum aliquid, quod est vile, per u scribendum est. Berna si domi genitum significat, id est, per b scribendum est; si tempus, ut verna tempora, per u scribi auctores voluerunt. Berbena utraque syllaba a b incipiat.

[Belzebub, non Belzebul. Belial, non Beliar dici debet. Baptismus baptismi genere masculino, et baptismus baptismatis, et baptismum baptismi [Ms Sal., baptismus, baptismus, etc.] invenitur.

[905C] B littera contra f non sonat, sed in eam transit in compositione, ut offui non obfui; suffero pro subfero. B quo in s transire solet multis in locis, ut, sustuli, suscipio, susteneo, suspendo; pro subtili, et subcipio, et subteneo, et subpendo. Bes sive bisse, quod significat VIII uncias per b scribendum est. Bimus, quasi bihiemis, et inde bimatus derivatur, a b incipit; et biennis quasi duorum annorum. Benivolus et benignus, et benificus, licet a bene adverbio sit compositum, tamen per i non per e in secunda syllaba scribitur: similiter et malivolus, malificus; sicut a pace pacificus.

Bibo a potu per duo b et facit praeteritum bibi. Vivo a vita per duo v et ambo consonantes, et facit praeteritum vixi. Bivium, iter duplex, prima syllaba a b [905D] incipit, secunda ab u consonante. Brevis, secunda syllaba per v, inde breviter. Balteus, cingulum, per e scribatur. Beo, beas; inde beatus: sicut meo, meas, inde meatus: et creo, creas, inde creatus.

LITTERA C.

Causa per unum s scribatur. Circum praepositio quibusdam in locis m amittit, ut circuire; in quibusdam servat, ut circumvenit: in quibusdam postponitur, ut Virgilius: Maria omnia circum. Caverna per u; taberna per b scribatur.

Cana, si locum significat per unum n, si germen, id est, canna per duo n scribatur. Cynomia, si per y scribatur, caninam muscam significat. Cynus, Graece [906A] canis dicitur. Coenomina per diphthongon oe communem muscam, id est, omnis generis muscam signat [Ms. Reg., significat], quia coenomina Graece commune dicitur; unde coenobium [Ms. Sal., coenobium] communis habitatio appellatur. Carduus trium syllabarum est, sicut arduus, fatuus, mortuus. Cuspis, cuspidis, non cuspes. Commodamus quae recipimus, per duo m scribatur. Mutuamus, dum aequalia recipimus. Comminus per duo m, eminus per unum m. Comminus cum gladiis pugnamus; eminus cum lanceis; quia illud a manu non recedit; hoc e manibus emittitur. Collocat per duo l scribitur.

304 Cerno, et cresco et glisco in unum praeteritum perfectum veniunt, quod

est crevi. Cupio cupivi facit et cupii. Casses retia dicuntur, per duo s scribitur. [906B] Comedia carmina sunt, quae in conviviis canuntur, per e simplicem scribitur.

Comburo, comparo, compono per m et non per n scribuntur: sic complaceo, commoratus, comprehendo, commodat, computrescit, commendat, commune, complures et talia (Ms. Reg. addit: per m scribenda sunt). Camelus per unum l. Celo, celas, id est abscondo, per simplicem e. [Caelo, caelas, cum picturam significat, per ae diphthongon scribendum est. Unde melius intelligitur caelum a pictura siderum, quam a celando mortalibus arcana dictum. Circa ad visibilem materiam vel locum pertinet. Erga ad animam spectat, maxime cum aliquem propensorem affectum generat proximorum.] Circum ad tempus refertur.

[906C] Cis localem habet significationem, ut: cis Alpinam Galliam: et pro ultra accipitur; ut: cis praefinitum tempus, hoc est, ultra; ex eo citra. Citra eandem pene significationem habet quod cis. Nisi quod propriis nominibus cis; et appellativis citra saepius praeponi solet. Cis Rhenum; cis Alpes; citra forum, et a cis, citra: a citra, citer, ceterior, citissimus.

Circiter ad numerum solum pertinet, ut: circiter tria millia, vel circiter horarum decem. Carcer ubi homines clauduntur. Carceres unde quadrigae exeunt. Cepit per simplicem e a capiende. Coepit per diphthongon oe de incipiendo. Coepta per simplicem e. Con praepositio si ad verba a vocalibus incipientia accedat, n consonantem perdit, ut, aequo, coequo; eo, coeo, et reliqua. Si autem [906D] ad verba a digammon incipientia, non perdit n litteram, ut, volo, convolo; vinco, convinco. Coquus, coqui, prima syllaba per c; secunda per q. Non enim dicimus quoquere, sed coquere. Coniunx [Ms. Reg., conjux] secundum analogiam per n scribendum est, ut conjunx; sed euphoniae causa n tollitur et dicimus conjux. C sequente, nullus vocalis [Ms. Reg., nulla vocalis] aspiratur, ut acies, ecce, oculus.

Caelebs, qui sibi iter facit ad coelum; et caelebs coelestium ducens vitam; et coelicola, qui coelum colit, ut angelus. Haec per ae diphthongon scribenda sunt. Coaetaneus, quasi compar aetatis, et per ae diphthongon scribitur. Cado, cecidi, a cadendo per et [907A] Caedo, caecidi, a percutiende per ae diphthongon scribitur. Cedo, cessi, a declinando, per e scribitur. Caluo, id est decipio, per u scribitur; Calui secundum regulam debet facere, et exinde calumnia derivatur.

LITTERA D.

Dilectum ab electione per di. Nam diligi affectionis est, inde dilectio et diligo [Ms. Reg., Nam diligi affectionis est; deligi iudicii]. Deligi per de; deligi iudicii est. Delictum, id est, peccatum, in prima syllaba per e, in secunda per i scribendum est. Dilectus, id est charus, mutato ordine i in prima syllaba, et e in secunda debet scribi. Delectatio et delector, et quae declinantur ex eis, per e scribenda sunt, et in prima et in secunda syllaba.

Deus per solam e. Daemon per ae diphthongon scribitur. [907B] Decus honoris est; decor formae. Descendo

per e dicitur. Desperatus per e. Dispersus per i. Deficiscor, defectus sum facit. De memorativum est, et intentivum, et privativum; de homine; detraho; desum. De praepositio aut plena in compositionibus ponitur; ut deducere, demonstrare, detrudere. Aut correptione e littera corrumpitur, ut deorsum. Nam quando e littera in i transit; ut,

Aera dimovit tenebrorum et dispulit umbras; non est a praepositione de, sed a dis, ut, distraho, desperio [Ms. Reg., dispertior].

Dissertus, id est, eloquens, per di scribitur. Desertus, id est derelictus, per de. Delator, qui defert ad accusandum per de praepositionem. Dilator, cum tardare [907C] significat, per di praepositionem scribatur. Deluit, id est purgavit, per de. Diluit, id est imperat, per di scribitur. Deduco, de amico producendo, per de. Diduco autem, id est distraho, per di. Didymus prima syllaba per i, secunda per y. Discedo per i scribendum est.

Di quidem, et dis separativa sunt, et eandem significationem habent, quomodo ab et abs, ut: divido, distraho. Et dis componitur, quando sequitur c, f, p, s, t et i loco consonantis, ut discutio, differo, diffundo, s in f mutata euphoniae causa, ut disputo, disspero [Ms. Reg., dissero], distraho, disjungo. In aliis consonantibus di praepositur, ut diduco, digero, diluo, dimitto, diruo; et ubique di producitur, praeter dirimo, disertus.

305 LITTERA E. E in compositione privativum est, vel intentivum, ut, enodes trunci; enarro. Ecquid in prima syllaba per c scribatur, quoniam significat enquid, n in c conversa. Edo ab edendo facit es, est. Esto, ecce, consentio. Expergiscor et experior faciunt praeteritum expertus sum. Exsilium s debet habere. Item x transit in f litteram, ut effluo, effodio, effero, efficio. Exuviae per u. Excubiae per b scribantur. Exsequi per q scribendum est. Emporium sine h, Latine mercatus interpretatur. Emolumentum [Ms. Reg., Emolumentum] per e scribitur. Aemulatio per ae scribendum est. Exsul addita s debet scribi, quia [908A] extra solum est. Exultat melius sine s scribitur, quia x ex c et s constat. Aequor aequora per ae diphthongon scribi debet, quia ab aqua est nomen factum.

[Exprobrat, qui commemorat quae praestat. Obprobrat, qui obprobrium [Ms. Reg., opprobrat, opprobrium] objectat, hoc est vitium.] Exspectat per s scribatur. Exspectatur, id est, venturus: spectatur, qui videtur vel probatur [per s]. [Exercitus laboribus; exercitatus studiis [sine s]. Exstruere est altum struere [Ms. Reg., Exstruere est intellectum statuere, mendose]; instruere aciem vel actionem: adstruere, adfirmare; construere, in struendo conjungere; substruere aliqua supraposita subterstruere. Eorundem et earundem euphoniae causa per n non per m scribenda sunt]. Ex praepositio ad f litteram [908B] formatur, ut effluo, effodio, efficio, reliqua; et haec ideo per duo f scribenda. Ex praepositio sequentibus b, d, g, l, m, n, litteris et u et i loco consonantium, x litteram amittit, ut: ebibit, edidit, egressit, elusit, emicuit, enervavit. Sequentem vero f in

eandem x mutat, ut effundo. Expecto, quod est pectino, sine s scribendum est. Exire sine s, ire enim est simplex, et quaecunque ex hoc formantur, ut exitus, exitium, exitiale. Exscindo, exsculpo, exstruo per s scribenda. Exsisto similiter: sistere enim per s dicimus. Examen sine s. Exiguae similiter scribendum sine s. Ex pro extra invenitur poni, ut excludo, extraculo. Exsul, extra solum. Modo pro valde, ut excelsus pro valde celsus. Modo privativum vel intentivum vel perfectivum, ut extirpo, extendo, expleo.

LITTERA F. Formosus sine n in secunda syllaba scribendum est, ut harenosus, frondosus, aquosus, herbosus. Participia vero habent n, ut, tonsus, tunsus, pransus, pensus. Ferae quoque non fereae scribendum est. Flavus, prior syllaba ab f; sequens ab u incipiat. Fides fidei prima syllaba brevis. Fides, fidis, de chorda utraque longa. [Fidus de amico dicitur. Fidelis de servo. Fidus, fidissimus, comparativum non habet, sed pro eo dicendum est: magis fidus, minus fidus. Fastus de superbia facit fastuum genitivum pluralem. Fastus de libris fastorum facit. Fungi agere est; defungi, peragere. Fremor est murmur hominum: Fremitus ferarum est. Furvum nigrum dicimus. [908D] Flavum rubeum dicitur. Fulvum certe aurum, cui ad decorem splendoris sui nigelli aliquid addatur [Ms. Reg., additur]. Foros masculinum, tabula navium est, ubi remiges sedent, et semper pluralis est]. Fedus, quod est deformis, per simplicem e scribitur. Foedus, quod est pactum, per oe diphthongon. Falso nomen ablativi casus, et verbum primae conjugationis, et adverbium est. [Flagitia, quae in Deum peccamus: Facinora, quae in hominem. Fimus et fumus; fames et fenum, et fel pluralem numerum non habent].

Fulcio et fulgeo eundem habent perfectum fulsi. F littera in speciem figurata est cujusdam litterae, [909A] quae digamma nominatur, quia duos apices ex gamma littera habere videtur. Ad hujus soni similitudinem v consonantem loco ejus nostri posuerunt, ut votum, virgo; pro fotum, firgo.

Festucam, non fistucam dicito. Forfices secundum etymologiam si a filo dicuntur, f ponitur, ut forfices, quae sunt sartorum. Si a pilo per p, ut forpices, quae sunt tonsorum. Si ab accipiendo per c, ut forcipes, eo quod formam capiunt, quae sunt fabrorum. Formum enim antiqui dixerunt qualidum [Ms. Reg., calidum]; unde et formosus [Faris, fatur, a fando; et non habet primam personam]. Filex dicitur, qui felicitatem dat. Felix, qui felicitatem accipit. Filex, per quem datur felicitas. Fingo, finxi, fictum, ficturus facit. Findo, fidi, fissurus facit. Figo, [909B] fixi facit. 306 Fundo, fundas, a fundando. Fundo, fundis, a fundendo. Fero, fers, fert facit, differentiae causa, in secunda et tertia persona, ne si feris, ferit diceretur, quod a ferio, feris, ferit putaretur venire. Fero et tollo faciunt praeteritum tuli. Furio et insanio unum habent praeteritum, insanivi. Facio imperativum facit fac, differentiae causa, ne si face diceret, quod a nomine putaretur venire, quod est fax. Similiter dic, duc et fer [differentiae

causa] per apocopam proferuntur; nam si dice, duce, fere diceremus, aliud significare putaremur.

LITTERA G.

[Gaudium animi est laetitia; exultatio etiam verborum [909C] atque membrorum.] Gnavus per g et n scribendum, sicut gnavus, quia et in compositione ipsam retinet g [Ms. Reg., ipsa retinetur g], ut agnavus, ignavus. [Gremium interius; sinus exterius est. Gith monototon et pluralem numerum non habet; est autem neutri generis, et per omnes casus declinatur]. Gnavus, id est, doctus, perfectus, sciens. Gnavus, fortis, agilis. Garrit, subtiliter murmurat. Garrulus, verbosus, loquax. Gestit, vult, cupit, optat, desiderat. Gestat, id est, portat. Gloriosus a frequentia claritatis dicitur: pro c, g, littera commutata est. Grandaeus, quasi grandis aevo, ideo per duo u scribitur. Gratulor pro gaudeo, et gratias ago.

LITTERA H.

[909D] Habeo a tenendo cum aspiratione scribitur; abeo a recedendo sine aspiratione, et est compositum a duobus integris ab et eo. Hiatus, oris apertio cum aspiratione. Chiatus per c et h vas significat. Hymnus per h scribendum est. [Hi et his pronomina per unum i scribuntur.] Haud, quod [Ms. Reg., quando] adverbium est negandi, d littera terminatur, et aspiratur in capite; quando autem conjunctio disjunctiva est, ut aut per t litteram sine aspiratione scribitur. Hujusce per c litteram scribendum est; antiqui enim pronomibus ce addebant, ut hicce, illicce, isticce. Unde subtracta eadem novissima syllaba ce relicto est hic, illic, istic. Accentu tamen [910A] remanente in novissima syllaba. Hiems sine p scribi debet, licet sumpsit per p scribitur, propter psi Graecam litteram, cujus potestatem p et s in Latino habent.

Haurit per h scribi debet; audit sine h. [Herbescit ager, cum herbam generat; sicut adolescit, et pubescit, cum spicae proximat [Ms. Reg., proximat]. H aspiratio ante vocales omnes poni potest; post consonantes autem quatuor tantummodo ponitur, c, t, p, r, ut habeo, heres, hiems, homo humus, Chremens [Ms. Reg., Chremes], Tharso, Philippus, Rhodus. H ideo vocalibus extrinsecus adscribitur, ut minus sonet; consonantibus autem intrinsecus, ut plurimum sonent. Habena, quae regit per b cum aspiratione; avena, quae significat tibiam vel stipulam [910B] per v sine aspiratione. Hiscit, id est, os aperit. Hippocrita Graece, in Latino simulator. Hippo enim Graece falsum, chrisis iudicium interpretatur.

LITTERA I.

Inclutus Graecum nomen est; nam clyton quod Graeci, Latine gloriosum dicunt. Idiota Graecum est, Latine imperitus. Intervallum per duo l dicitur. Interpretor per simplicem e et omnia, quae ab eo sunt, scribuntur. Inter praepositio in una voce sequente [lego] mutatur in l, ut intellego; in aliis integrum manet, ut interitus. Id pronomen ab eo, quod est, is, ea, id, per d scribitur. It, quod fit ab eo, is, id, per t scribitur. Jacet, qui cadit. Jecit, qui mittit quodlibet missile. Impar per m scribendum est. Impleo per m non per n. Ipsum neutri generis [910C] dicendum est, non ipsud, ut illud,

istud, quomodo [Ms. Reg., quoniam] veteres nominativum masculini generis non ipsud, sed ipse dicebant. Unde in Evangelio: Omnia per ipsum facta sunt, id est, Verbum. Idem per n in priori loco scribendum, licet sit ab idem et itidem compositum.

Inlexit si per e, seduxit significat; si per u inustrationem. Incestum scribendum est, licet veniat ab incasto. Innixus, procumbens. Innexus ligatus dicitur; indegena, inde natus; incola, aliunde Veniens; intempesivum veteres dixerunt inopportunum; tempestivum oportunum; oportunum a tempore dicitur.

307 Sic * in maturitas nocturnum tempus est, quod non est maturum, id est, oportunum, ut agatur aliquid [910D] vigilando, quod etiam vulgo dici solet, hora inportuna *.

Juvenis, juvenior, superlativum non habet, ut senex, senior. Solent autem juvenis et senior ad se invicem dici major et minor. Inpingo facit praeteritum perfectum inpinxi et inepi. Ira repentino animi motu nascitur. Iracundia perpes est vitium. Invidus, qui invidet dicitur. Invidiosus, qui invidiam sustinet. In praepositio si composita sit, et p aut b vel m sequatur, n in m convertit, ut improbus, imbuit, immutat, impius. Quoties vero g sequitur, illam m amittit, ut ignarus, ignotus, nam gnarus et notus simplices sunt.

LITTERA K. Kartago et Kalendae per k scribenda sunt. Caetera per c melius.

LITTERA L.

Liber sive codicem, sive libertatem, sive corticem significet, omnia per b scribuntur. Largitas humanitatis est; largitio ambitionis. Libidinosus a libidine per b. Lividus a livore per v scribendum est. [Lepus animal est; lepos jucunditas voluptatis. Unde et gratum aliquid lepidum dicimus.] Limen aedium est; limes regionum. Loqui hominis est; obloqui obtractatoris, sicut objecit, obponit [Ms. Reg., obicit, opponit]. Adloqui [Id., Alloqui] persuadentis est hortantisque vel jubentis. Eloqui oratoris est.

[911B] Laurentius et alia nomina quae nominativum casum singularem in ius mittunt, genitivum singularem et nominativum pluralem in duplicem ii habent; vocativum singularem in simplicem i aut ie, ut hic impius, hujus impii, o impie. Luceo et lugeo in unum perfectum deveniunt, ut luxi. Lino facit perfectum lini et llinivi. Laetus per ae diphthongon scribitur, quia laetitia a latitudine vocata est. Leprosi a pruritu nimio ipsius scabiei dicti sunt, ideo per p scribi debent. Lego, legas, ab eligendo. Lego, legis, a legendo. Loquor, loqueris, loquitur per q scribenda sunt; locutus vero euphoniae causa per c et simplex u scribitur.

LITTERA M.

Munimentum a muniendo: [monumentum] ad sepulcrum [911C] pertinet. Mille per duo l, licet milia per unum l scribitur. Malum si fructum significat longa a [Ms. Reg., longa est ma]; si nequitiam, brevem dicito. Malus quoque, id est arbor navis longam a dicito. Malus homo brevem a debet habere [Ms. Reg., brevem habet a lit.]. Machina per c et h scribendum, id est argumentum. Macte, id est magis aucte. Mollis si a mollitia per duo l. Molis [Ms. Reg., Moles] si ad pondus,

per unum l scribatur. Mane, dii infernales dicuntur. Mane sine s, diei initium. Marsupium per duo p scribendum est. Mas primitivum est; Mares [Ms. Reg., masculinum; fort. masculus] diminutivum. Machaera per c et h, id est gladius. Maceria, id est murus, per simplicem c. Mando, mandas, a mandando. Mando, mandis, a manducando. [911D] Metalla per duo l scribitur. Mulceo et mulgeo unum habent perfectum [Ms. Reg., in unum perfectum veniunt] mulsi. Menda deceptio vel fraus, inde mendax vel mendacium.

Mars et Mavors unum est, unde et Mavortia [quidam dici volunt]. Manuvia, oblivium, diluvium, suavium, lividium, [favius] flavius, avidus, fluvius, civitas, exuviae per v consonantem et i brevem proferuntur. Matheus et Matthias per duo t, quod Graeci per et scribunt. Malo, id est magis volo; et nolo, id est ne volo per unum l. Malle et velle et nolle per duo l. Mitto per duo t et ideo in praeterito perfecto per duo s scribatur, id est, missi. Magnus, g sequenti syllaba jungitur [Ms. Reg., sequenti syllabae [912A] societur]. Magister, major in statione; nam isteron Graece statio dicitur.

LITTERA N.

Nobilis, mobilis, debilis, habilis, per b scribenda sunt. Nactus, id est inventus vel adeptus, per n et c scribi debet. Nactus participium futuri temporis per c solum. Navita et Nauta utrumque recte dicitur. Nummularius [Ms. Reg., Nummularius] per duo m, quod est nummorum largitor. Nummista similiter per duo m, quod est nummi percussura. Navus, quod est strenuus vel efficax, per duo u scribendum 308 est. [Nimis dicitur, quidquid plus fuerit quam oportet. Nam parvum est, quod minus est quam oportet. Horum in medio modus est, quod dicitur, satis est. Sed aliquando Latina lingua hoc verbo sic [912B] abutitur, ut nimis pro eo, quod est valde, ponatur, veluti positum invenimus in litteris sacris. Nam et in psalmo: Tu praecipisti mandata custodiri nimis [Psal. CXVIII, 4], id est valde.]

[Nullus est tam in re quam in persona. Nemo in persona dicitur, ut ne homo [Ms. Reg., ut nemo homo]. Novi declinatur sicut odi et memini. [Nubit femina viro; vir autem ducit uxorem. Mulier nubit, quia pallio obnubit caput, genasque]. Nubo cum vocalis sequitur, b debet esse; cum consonans p, ut nupsi. [Nihil adverbium est; Nihili nomen est; homo enim nullius momenti, nihili dicitur]. Navigium omnis classica profectio dicitur. Nauta est omnis qui laborem facit navigandi. Navis, ablativus in i et in [912C] e mittitur [Ms. Reg., ablativum in i et in e mittit]. Nequam non malum significat, sed inutilem. Neglegens per g scribendum est, quasi nec legens, c in g conversum. Narro, narratio per duo r scribitur. Nihil et nil utrumque dici potest.

LITTERA O.

[Olea ipsa arbor est, fructus oliva, succus oleum]. Obaudiens ab aure, eo quod audiat imperantem; ideo per au scribendum est. Ob praepositio interdum ponitur plena, ut est, obire, oberrare. Interdum in eandem litteram transit, a qua sequens sermo incipit; ut offulsit, ommutuit, opposuit. Sequente vero v loco consonantis integra manet,

ut obversus, obvius. Onus si de onere venit, per o solam; si de honore per h scribitur. Oblatrat per b scribendum est. Obstat [912D] per b; optat per p scribitur. Obstupui, obstupeo, obsum, obstrepto, b ad priorem syllabam, s ad secundam pertinet. Obitus nomen, et subito atque obiter adverbia ab ob et sub praepositionibus incipiunt. Obsolevit s quidem habet, sed non ipsius verbi, sed praepositionis, quae est obs, sicut ab et abs. Obsolevit, id est inveteravit. Obnixus, id est conabundus per i. Obnexus, id est obligatus, per e scribendum est. Occasus per duo c et per unum s.

LITTERA P.

Pascha et Phase unum est. Parascheve per u debet in novissima syllaba scribi. Patriarcha h debet habere, id est princeps patrum. [Patrium a patria dicitur. Paternum a patre dictum est. Papaver per v [913A] scribendum est]. Pandectes, id est omnia ferentes. Ideo Vetus et Novum Testamentum, si insimul scribitur, Vetus et Novum insimul Pandecten dicitur. Pangor, pactus sum facit praeteritum. Parumper, id est parum praeposterata praepositione per; sicut putebus ablati s per apocopam. Pario, peperi, partum facit supinum verbum, inde pariturus. Parco facit praeteritum parsi [et pepercit]. Patiens sum laboris. Plenus sum bonorum et bonis. Pavidus et avidus per v scribenda. Pavus, pavi, et pavo, pavonis. [Poenitet me muneris. Piget me perfectionis. Pudet me amoris. Pecto caput, non pectino. Pexum, non pectinatum.] Pene praepositio; et penes adverbium per simplicem e scribantur. Pennas avium. Pinnas murorum. Peto, expeto sine s scribi debet. Petredium abjecta [913B] h in compositione a petendis haereditatibus dicitur. [Pertinacia malae rei dicitur, et constantia bonae.]

Percussus corpore: Percussum animo dicimus. Percutio, percussi per duo s, inde percussurus. Perjurus est qui male jurat. Pejurus, quasi pejus jurat, in verbo r non habet [Ms. Reg., pejuo enim verbum r non debet habere; est enim quasi pejus juro]. Phoebus, id est Apollo, ita scribitur, ut post p sequatur h. Phoebus sol dicitur, Phoebe vel Phoeba luna, utrumque per p et h scribenda sunt. Pignora filiorum et affectionum. Pignera rerum. Plagiarius, id est seductor. Plaustrum, capistrum, claustrum, vestrum, rastrum, et talia tres consonantes, vocale sequente, in unam syllabam jungenda sunt. Pluris dicimus, quod majore summa taxatur. Plures vero de multitudine. [913C] Plures comparativus gradus est, cujus positivus multi. Poderis per o et e, id est tunica talaris, qua sacerdotes in veteri lege utebantur. Poena, quod est subplacium per o et e scribitur. [Pono aliquid simpliciter statuens. Dispono aliquid [operis] impensoris vel consilii facturus. Est autem [Ms. Reg., Est etiam] disponere foederis ineundi]. Potior, 309 potius sum, et perfruo, perfructus sum. Potius per o scribendum est, non per u, quia a potes [Ms. Reg., a potis] venit. [Potior fructus et fructu dicitur apud antiquos: Potior hanc rem. Potior, potissimus [facit]. Potamus eum, cui potum porregimus [Ms. Reg., porrigimus]. Pometa dicimus, ubi poma nascuntur; Pomaria ubi servantur. Postulatur aliquid honeste; Poscitur improbe]. Postumus abjecta h [Ms. Reg., [913D] Posthumus abjecta h; f. l., adjecta] in

compositione, est enim post humatum, id est post sepulchrum patrem natus.

P in temporibus verborum per b commutatur; ut scribo, scripsi; labo, lapsi; nubo, nupsi. Prae, illi et alios. Praedico, ante dico. Prae in appositione vel compositione invenitur, et ad vel ob vel super vel valde vel ante significat. Præterius: Contempsit illum hic prae me, hoc est, ad comparationem mei. **Item:** Fit misera prae amore, id est, ob amorem. Praesideo, supersideo. Praevalidus, valde validus. Prae praepositio et praeterea per ae diphthongon scribenda. Presto per ae o scribendum, non per u: unde prestolari [914A] dicimus, non prestulari. Prehendo et Prendo utrumque dici potest. Pretium per e simplicem. Precari est rogari [Ms. Reg. est rogare], deprecari excussare, vel purgare, utrumque per e simplicem; ut Virgilius (Aen. XII, 931):

Equidem merui, nec deprecor, inquit. Praemium cum diphthongo ae. Aliter praemium praefatio dicitur. Praegnantem cum scribis, adnectis g secundae syllabae, aut scripto divides et alia huiusmodi, ut magnus, dignus, pignus. Primitiae pluraliter tantum dicuntur, sed aliquoties singulariter intelligendae. Privignus per detractionem e litterae dici potest, integrum enim ejus privigenum reor.

Probo verbum duplicem significationem habet; probamus enim quae elegimus, id est adprobamus. [914B] Probamus, quae qualia sunt temptamus, ut, proba me Deus. Pro praepositio, cum sit naturaliter longa, interdum in compositione corrumpitur [Ms. Reg. corripitur]; partim correptione, ut proavus; partim assumptione litterae d, ut prodest, proditus, prodigus. Interdum integra est et ipsa pars, cui conjungitur, ut procuro. Sequentibus i et v loco consonantium nunquam litteram perdit; aut mutat; ut providens; aut assumit, aut corrumpitur, ut projectus. Protinus per i temporale est, id est statim:

Protinus Aeneas coepit celeri certare sagitta.

Protenus per e adverbium locale est, id est, porro tenus, ut: Cum protenus utraque tellus una foret. Pro in appositione vel compositione localis et temporalis [914C] [Ms. Reg. vel temporalis est]. Pro templo, provideo; et loco e et super, vel ante, vel ad vel in accipitur, ut prominet; id est, supereminet. Pro curia sociis signa dare, id est, ante curiam. Virgilius (Aen. V, 500):

Summis incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri;

[id est, ad suas vires]. Pro testimonio, hoc est, in testimonio. Et pro interjectione accipitur, ut Pro dolor! et circumflectitur. Pulmentum et pulmentarium dicitur. Pudoris per u et o scribendum est: [poderis per o et e, id est, tonica [L. tunica] talaris, qua sacerdotes in vetere lege utebantur].

LITTERA Q.

Quaestor a quaerendo, quasi quaesitor per ae diphthongon [914D] scribatur. Quaestus lucri, per ae diphthongon. Questus [Ms. Reg., Querimonia] lacrymarum per e. Quanquam prior syllaba n habere debet, non m. Quantus et tantus per n euphoniae causa, venit enim a quamtus et tamtus. Quantus, quam magnus dicitur.

Querela per unum l, sicut suadela, tutela, candela, corruptela. Quatenus adverbium loci, id est, quousque, per e. [Quatinus conjunctio causalis, id est, ut, per i scribatur. Quaeritur, de inquirendo per ae diphthongon. Queritur, de plorando, per e. Queremonia, per duo e. Queror de te, tibi de illo. **Item** conqueror.]

Qui syllaba per q et u et i scribitur. Si dividitur, [915A] per c et u et i scribenda est. Quid pronomen per d scribendum est. [Quicquam et quicquid in medio per c non per d scribenda.] In compositione plerumque d in c commutatur [Ms. Reg., conversa mutatur], ut in praepositionibus, accedo, accumulo. Quit verbum, quod fit a queo, quis, quit per t. Quot, quando numerus est, per t; quando pronomen per d scribendum est. [Quoties et toties sine n [scribi debet]. Quorundam, sicut eorundem per n non per m scribendum est. Quo vadis, ad quem locum significat. Qua vadis, qua via dicitur. Quo aliquando pro ubi ponitur. Augustinus: Invenis domum famosam, quo boni habitant, id est, ubi habitant. Quotus cujus aetatis, unde et quota 310 luna dicitur. Augustinus: Quotusquisque in hac vita existere potest, qui non convincatur [915B] esse peccator. Id est, in qua aetate; quo dierum vel annorum numero.] Quotidie adverbium numeri per q et u scribendum est, non per c, ut quot diebus. Cotidie [adverbium continuationis] per c et simplicem o dicitur et scribitur, non per q, quia non a quota die, sed a continenti die dictum est. Q littera tunc recte ponitur, cum illi statim u sequitur, et aliae quaelibet pluresve vocales litterae conjunctae fuerint, ita ut una syllaba sit. Caetera per c scribuntur.

LITTERA R.

[Radius masculini generis est; non radium neutri. Regium, quod regis fuit, dicitur. Regale, quod regi [Bed., rege] dignum est. Recens feci dicimus, non recenter, utentes nomine pro adverbio.] Re praepositio [915C] non tantum plena praepositur quibusdam partibus orationis; ut removet, refricat, respirat; sed et d litteram assumit, ut redolere, redire. Sed interdum littera d geminatur, quoties ab ea sequens incipit syllaba, et una pars orationis [Ms. Reg. et una syllaba] expletur; ut reddere dicimus geminata d; reducere autem simplici. Redoleo, unguentum dicitur. Re praepositio saepe cum ad consonantes accedit, geminat illas, quod plerumque apud antiquos est; ut cado recido, tuli rettuli, pello repello, do reddo, lego rellego. Reliquiae per q scribendum est, et per unum l, licet Virgilius (Aen. I, 34) poetica licentia dixisset: Reliquiae Danaum.

Re praepositio d litteram extrinsecus accipit, cum [915D] ad vocalem incipientem verbi alicujus accedit; quam d non accipit, si ad u consonantem accedat; ut ulcero redulcero, ago redigo, eo redeo; voco revoco, vinco revinco. [Robor arbor est; Robur virtutis. Rubor coloris]. Roseum per e. Roseaceum mixtum. R sequentibus a, u, vocalibus non aspiratur; ut arcus, urtica, urna; notatis aspiratur, ut hara, harena, harundo. R sequente e vocalem leviter effertur, ut erus eruum, ergon. Si post r sequatur b vel n vel s vel e longa, tunc graviter profertur; ut herba, herbidus, herbilis, herbosus; proprium herna, unde est: Hernica saxa colunt. Hersilia, heredes,

heredium, Herenius proprium, et Hercules.

[916A] R sequente i vocalem semper aspiratur, ut hircus, hirquittallus, hirpinus, hirsutus, hirtus, hirtuleius, Hirrus proprium, nisi aut monosyllabum sit, ut ir; aut ex motu verbi, ut eo, is, irem: Iris, id est, arcus; aut nisi a post r sequatur; tunc enim non aspiratur, ut ira, iratus, iracundus, irascor, et quidquid ab eis fit. R sequente o vocali non aspiratur, ut orbus, si vero alia r sequatur, aut t, tunc aspiratur, ut horreo, horror, hortus, holerum, Hortentius. Notatur hordeum. Rhythmus Graece, Latine modulatio dicitur.

LITTERA S.

[Salutare consilium est: ita salubre non nocet; salutare prodest. Salubre ad locum refertur et ad cibum. Saevus, saevio, saevi, saevisti per ae diphthongon. Sagma [916B] per e cum retiam [L. retia] significat. Sagina per i cum pastum et pinguedinem.] Sal et masculini generis et neutri dici potest. Sartrix vel sertrix, qui sarcit dicitur. Sarcinor, qui sarcinas servat. Sat per t scribitur, quia per apocopum a satisfit. Saturitas in cibo; in ceteris vero satietas dicitur. [Sanguis dicitur dum manat; effusus vero cruor dicitur]. Scio, scivi, scitum, sciturus facit, et ex eo scisco. Scribo per b. Scripsi per p scribendum, quia b transit p in praeterito tempore. [Secturus non sectaturus (L. secaturus) a verbo secto.] Sed antiqui sedum dicebant, ideo sed per d scribendum est. Sedeo, sedi, inde sessurus per duo s. [Segnitias vitii est; segnitia frigris]. Sensus nomen est quartae declinationis, et participium est praeteriti temporis a verbo passivo, quod [916C] est sentior, cujus etiam perfectum est, sensus sum, sensus es, sensus est; non sentitus.

Saepe b in praepositione sub euphoniae causa in sequentem mutabitur consonantem, ut suffero, suggero, summitto, suppono; saepe integra manet, si sequens syllaba a vocali incipit, ut subaudio, subesse, subire, subsistere, subala. Sanies, sordida, sitis; et in neutro sulphur, scrupulum, sinape, siler, singulariter tantum dicuntur. Sed Virgilius (Georg. III, 449): Sulphura viva; et Terrentius masculini scrupulus 311 retulit. Sero, seras, seravi a claudendo, quae veniunt a sera, id est, vespera; et quia sero, id est, vespere civitatum obcluduntur portae, et inde serae, id est, vespes, quibus portae vel hostiae [L. ostia] urbium [916D] obfirmantur, ut in psalmo: Quoniam confortavit seras portarum tuarum (Psalm. CXLVII, 13).

Sero, seris, sevi, a seminando. Sero rumores, id est, divulgo. Servile, civile, et olive per v scribenda sunt, i longa ante l. Servus et saevus per duo u, ita ut prior digammon sit, sequens vocalis. Similiter parvus, pravus et corvus. [Servitium multitudinis servorum est. Servitus condicio serviendi. Sed veteres indifferenter servitium pro serviendo posuerunt. Similis sum tui moribus. Similis sum tibi facie.] Sicut primus e multis; et prior ex duobus; ita postremus de multis, et posterior e duobus. Solemne, eo quod solet in anno per unum l. Sed et m sequenti [917A] syllaba secundum Priscianum jungi debet. [Sol in utroque numero declinatur; sed singulariter sol ipsum luminare significat; at soles ipsos dies nominamus, in quibus sol

totum inluminat polum. Nonnulli tamen veterum ipsa carmina soles nominavere, sicut Oratius exorsus est; soles meos omni ecclesiae vestrae commendo. Et Maro (Eclog. IX, 52):

Saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.

Solium proprie sedis regalis est, unde Graece basilicos thronus vocatur. Somnio, non somnior; somniavi, non somniatus sum.

[Sors, sortis; et sors sordis dicitur. Unde Ambrosius: Mundet vassa, ne sors aliqua vini gratiam decoloret. [917B] Tametsi negant quidem sordem nominativum singularem habere.] Spondeo, spondei in secunda syllaba s amittit, velut Prisciano placet. [Sterceratos agros non stercoratos dicas, quibus sterces ad fecundandum infertur.] Studio tibi feci, id est, dum studeo tibi. Studio tuo feci id, te studente. [Sumimus, cum ipsi accipimus ab alio. Sic cum damus, dicendum accipe; cum permittimus ipsi tollere, dicendum est sume.] Sumpsit per p scribendum; similiter et sumpturus. Supervus, qui super vult videri quam est. Supter per p non per b scribitur. [Supter est, quod re aliqua superiore premitur. Suptus, quod demissum altius non tangitur. Super est, quod eminet; supra, quod substratum aliquid habet.] Supplico divinae pietati, per duo p. Suppellex per [917C] duo p scribitur. Syriam, Syracusas, symbolum, sicut et in veteris libris, sic in nostris per y scribi oportet.

LITTERA T.

Totidem per t scribitur, quia a toto numero adverbialiter venit. Trans praepositio interdum plena est, ut transtulit, transeo, transactum. In quibusdam n et s admittit, ut traducit, traicit. Tabula et fabula per b scribantur. [Testor, aliquid confirmans sententia. Contestor cum quadam auctoritate affirmans. Protestor manifesta cavenda denuntians. Obtestor aliquem jurare compellens. Attestor aliquem ad testimonium vocans, qui sit dignitate vel auctoritate eminens [L. eminens]. Detestor aliquid execrandum respuens. Triumphat hostem, qui superat. Triumphat nos Deus, [917D] cum superandi hostes auxilium tribuit.

Transmigro verbum duplicem significationem habet; transmigro enim, cum de loco ad locum iter facio.

Item transmigro dicitur, cum additamento accusativi casus, id est, cum aliquem de loco ad locum transfero, ut: Nabuchodonosor transmigravit Iudaeos ab Hierusalem in Babyloniam. Transmigrans participium aequè dupliciter, et de loco ad locum transiens aliquis; et alium de loco ad locum transferens intelligitur.] Tunc temporis adverbium est; tum ordinis. [Terga hominum sunt tantum, singulariter tergum. Tergus quadripedum, pluraliter facit tergora, id est, coria.] Ideo in exemplo quod grammaticus posuit, vitiosa compositio est: Versaque juvenum [918A] terga fatigamus hasta. Quia quod hominum fuit, animalibus imposuit, et est cacosyntheton.

Tinguere dicendum est, non tingere. Temeritas sine consilio; audacia post consilium. Temperantia animorum; temperatio rerum; temperies aurarum. Turbo si sit proprium, turbonis facit; si

appellativum turbinis; nam sive ventus, sive quo ludunt pueri, hic turbo dicitur. Virgilius (Aen. VII, 379).

Torto sub verbere turbo.

312 [Teloneum non theloneum, id est, per t simplicem: non aspiratione addita. Est autem Graece telon, Latine vectigal.] Traho, veho in praeterito aspirationem in x convertunt, ut traxi, vexi. Alia projiciunt aspirationem; dicimus enim prehendo, et prendo; vehemens et vemens; nihil, nil, et nihili. [918B] Hercule. et ercle, quod est adverbium jurandi.

LITTERA V.

Vinea, si arborem significat, in prima syllaba i debet habere; et in secunda e, si ad indulgentiam pertinet, prima syllaba e, et secunda i habeat, ut est venia. Urgere debemus dicere, non urguere. Virgilius: Urgentur poenis. **Item:** Urgere tela manu. Vaccas, si animalia significat, per v; si flores lauri, id est, baccas per b scribatur. Vallis et vallum per v scribendum est. Ballistra et ballena per b. Valva, quod est ostium, per v. Balba mobile nomen, balbus, balba, balbum. Quod est tardiloqua, per b scribatur. Valde adverbium a valido nomine veniens, unde valde corrupte dicitur, per v scribendum est.

[918C] Vellus, si lanam significat, per v; si bellus, id est, pulcher, per b scribatur. Ver et vir per v scribenda sunt. Vel, si conjunctio est, per v; si humorem significat, per f, si idolum, per b scribendum est. Verbera, prior syllaba ab v; posterior a b incipiat. Uliciscor, ultus sum facit. Volo, volas a volando. Volo, vis a voluntate, quod imperativum naturaliter non habet; quia imperata necessitatis sunt, non voluntatis. [Vis duplicem significationem habet, et virtutis videlicet, quod Graece dicitur; et violentiae, quod Graece vocatur. Verbex vobis, ab v incipiendum est, et facit genitivum verbece, longam e in secunda syllaba. Dum vertex, cordex, codex i brevem habent in obliquis casibus, ut verticis, [918D] corticis, codicis et caetera talia.

[Uterior et ultimus positivum gradum non habent.] Veniunt, qui vendunt; veneunt, qui venduntur. Velocitas pedum et corporum; celeritas animorum et factorum. Ulcus, quod nascitur. [Vulnus, quod per alium fit. Urgeo, non urguo. Virgilius: Quibusve urgentur poenae. Ungo, unxi; quomodo pingo, pinxi, uterque sine u; attamen ad nomen derivativum addit; ut pinguis unguine]. Vulva, malva, stiva per v loco consonantis scribentur. Valde, per detractionem i litterae hoc adverbium dictum est, quasi valide. Valide enim integra dictio. Villus est vestimentum; villa possessio.

[Vas, vadis, de fenore, genere masculino. Vas, vassis de vasculo neutrum], utraque per v, fas per f [919A] indeclinabile; unde fasti dies, quibus jus fatur. Vesper incerti generis est, ut Prisciano placet; [920A] ideo evangelista dixit: Vespere, quae lucescit in prima sabbati.

JOANNIS DE GARLANDIA OPUSCULA.

(Polyc. LEYSER, Hist. poet. medii aevi, p. 311.)

OPUS SYNONYMORUM.

[1577A] Ad mare ne videar latices deferre, camino Igniculum, densis et frondes addere sylvis, Hospitibusque pyra Calabris, dare vina Leaeo, Aut Cereri fruges, apibus mel, vel thyma pratis, Poma vel Alcinnu, vel mollia thura Sabaeo, Ad veterum curas curo superaddere nostras.

Sed dare lac pueris, proponens pauca, pusillis, Quos solum ditant maternas muneris linguae.

Sermonis tribuo pueris elementa latini, Quorum multiplicem lector praecoaspice fructum.

Quisquis abundare cupit in sermone latino,

Atque reservare, quae mens cito lubrica fundit,

Eligat e multis hic mutatoria vocom. Ut diversimode rem significabit eandem,

Edocet aequivocis opus hoc, synonyma jungens

[1577B] Versibus, et ricinis [lege ricmis pro rhythmis] ut vocom copia detur. Exemplis variis brevis, et producta, docetur.

Sub multis plures res, unam voce sub una.

Ut fieri semper, quod fit plerumque, putamus.

Fallimus hinc alios, et ab ipsis fallimur ipsi.

Est opus idcirco cognoscere, qualiter et quo

Aequivocis ab univocis synonyma distent.

Significat multas res unius rationis. Univocum, sicut homo particularia signat;

Aequivocum celat sub eadem plurima voce,

Quorum nomen idem, ratio diversa sub illo est.

Quod natat, aequore; splendet, in aethere; latrat, in aede,

Significat triplici canis haec tria sub ratione.

[1577C] Diversa significant una synonyma voce:

Ut mucro; gladius; ensis: res una vocatur

Nominibus. Rebus his eadem res significatur.

Sed quia dactylici sunt multa vocabula metri,

Qui legem fugiant operi, quibus est opus, isti:

Quod breve longari placet, et longum breviori:

De multis valeant ut versus parte locari.

Non aliter poterunt synonyma consociari.

Particulis opus hoc placuit complere duabus:

[1578A] Multivocis prior, aequivocis pars altera cedit,

Ut quaerenda loco statuatur singula certo.

Hoc alphabeti geminus discriminat ordo.

Pluribus officiis animae sunt nomina plura:

Dum sentit sensus, ratio dum indicat; est mens

Dum quid commemorat; animus dum cogitat; est cor

Quando quid affectat; cum vult est dicta voluntas.

Spiritus est anima, manes, perfectio, vita,

Vis, endelechia, natura, potentia, virtus Interior, vel homo; praedictis additur umbra.

Orcus habet manes; animabus corpora vivunt,

Spiritus in coelis; umbrae per busta vagantur.

Aula, atria, castra, palatia regia regum. Aliger, ales, avis, volucrisque volatile, praepes.

[1578B] Si sit avis specie capio, sit garrio vincunt.

Auspicio, auspiciu, simul auspex; Aucupor, auceps.

Augur, et augurium, simul auguror, efficiantur.

Dic arcas, thecas, cistas, vel scrinia, capsas.

Capsula, capsella, de capsula diminutiva. Arduus, excelsus, celsus, sublimis, et altus,

Summus, et elatus, sublimatusque, levatus,

Et sic sublatus praedictis associatur. Auxilium, vel opem, suffragia dic, vel asilum,

Praesidium, vel subsidium, quibus adde juvamen,

His adjumentum, simul adjutoria junges,

His adminiculum simul addas, opitulamen.

Et de propitio fit propitiatio nomen. Torrens, flumen, aqua, fluvius, lacus, undaque, lympha;

[1578C] Dic rivos, latices, puteos, dic stagna, paludes;

Illis addatur amnis, simul atque fluentum

Amnis jungatur, Aqua mediarana vocatur.

Glarea, vel gyphus, glis est, argilla, bitumen.

Glis animal; glis terra tenax; glis lappa vocatur:

Ris animal; sis terra tenax; tis lappa vocatur:

Sic genus istius dignoscitur et genitivus.

[1579A] Est sarcago, patella, lebes, cacabus, vel ahenum.

A pateo dicas patinas, conjunge patellas.

Vas dico patinam, sed quod tegit esse patenam.

De sarcos et ago, sic est sarcago vocata :

Nam sarcos graece, caro dic esse latine.

Affecto, vel amo, cupio, desidero, glisco,

Opto, vel ammiror, aveo, vel gestio, capto,

Ambio, quod facit ambitio, simul ambitiosus

Est rector currus, auriga, vereda vocatur.

Plaustrum, plaustellum subit eis annumerandum.

De veo dic reda dictum reor esse veredam.

Aurigaque suum dant aures et rego nomen.

Sunt supra redas partes epyreide dictae.

[1579B] Porcus, aper, verres, mas est; sus, porcaque, scropha

Femina; sed sucula, porcellus, diminutivum.

Sus, suis. Ex illa caro debet esse suilla. Scrobs scrobis est fovea. Haec scobs scobis unde fit illa

A scrobe dic scropham cui rostro terra cavatur.

Et qui verrit humum verres de verro vocatur.

Est verrex, aries, cui virtus est generandi.

Fit bino de dente bidens. Dic esse bidental

Fulmen, quod cecidit ubi victima facta bidente.

Sed cum balatu balantem balo figurat. Sacrificans ovat. Ex ovibus fit ovatio, plausus.

Vervex in capite vermem gerit. Aries ita.

Hinc vervecinae carnes dicuntur ovinae.

Adstruit, affirmat, asseverat: tria sunt haec.

[1579C] Asserit est quartum, quae signant quatuor unum.

Annuo, concedo, simul admittoque tibi do.

Abdicat, et contradicit, negat, abnuat, inficiatur,

Obviat, et renuit, his unum significatur. Cum suffragatur, juvat, adjuvat, auxiliatur,

Subvenit addatur, succurrit propitiatur, Si permittatur a metris opitulatur.

Subtrahit, attollit, subducit, et eripit, aufert,

Surripit, et spoliat, asportat res alienas, Privat, praedatur, defraudat eis sociatur.

Convenit, alloquitur, pariter compellit et inter

Pellat, et affatur praedictis associatur. Auget, et augmentat, exaggerat, et coacervat,

Aggerat, accumulatur, congestat, congerit, addit,

[1579D] Ampliat, amplificat, apponit, et adjicit una,

Cum supradictis assuit, adjungit, adunit.

Arcet, compescit, inhibet, cohibetque, coercet,

Refrenat, reprimit, angustiat, atque coarctat,

Cogit, constringit, angariat, arctat, et angit,

[1580A] Urget, compellit: his sensus convenit idem.

Indignans onager servire per arva vocatur,

At supplex asinus servili lege ligatur, Foetus asellus erit. Similantur moribus illi

Qui non accipiunt doctrinam pectore duro.

Dicitur accusans aequales atque minores;

Dicitur incusans majores et meliores; Sed scelus excusans minuit, renuitque recusans.

Quod dat iudicio iudex, adjudicat; et quod

Aufert iudicio iudex, abjudicat illud; Et litem dirimens partes dijudicat inter;

Et quos supplicis affligit, iudicat illos. Iudico te, damno; tibi iudico, commoda quaero.

Artificis nomen opifex assumit, et actor.

Invenit auctor; agit actor; res ampliatur auctor.

[1580B] Autor ab autentim sine C; de se dicit actor,

A sine V ab ago venit; auctor ab augeo cum C.

Est avidus, cupidus, et avarus, et ambitiosus;

Divitias cupidus capit, ambitiosus honores.
Inter se distant timidus, temerarius, audax:
Linquit omittenda, facit audax aggredienda;
Cessat ab audendis timidus simul et fugiendis;
Audet omittenda temerarius et facienda.
Nutrit, fomentat, reficit, fovet, et refocillat,
Pascit, alit: sensus his verbis convenit unus.
Hinc nutrimentum deducitur, ac alimentum,
Fomentoque comes simul ac alimonia, fomes.
Inter se distant albescit, et albet, et albat
Albicat, albificat. Transire sinas duo prima.
Inchoat albescit; minuit simul atque frequentat
[1580C] Albicat. Istorum celebratur utrumque solum.
Candeo, candesco non transit.
Candido transit.
Dicitur unguentum, cataplasmaque, nardus, aroma.
Foetet aromaticum, Sileni quod praestat odorem.
Non redolet, sed olet, quod redolere solet.
Debet fex olei sedimen amurca vocari.
Est anus vetula, minuit sed anicula sensus.
Dum se curvat anus, velut antrum sibilat anus.
Augur, sortilegus est, divinator, aruspex,
Additur ariolus. Dicitur hinc ariolari.
Atque mathematicus illis sociatur, et auspex.
Unum significat arbor et robore stipes.
Stips stipis est opulus, sed stipes stipitis arbor.
Stipo constipo, stipendia dicimus inde.
[1580D] Arbutus arboris est species, sicut arbuta fructus.
Stips stipis est obulus; indeclinabile pondus.
Illinc est natus dispondius as geminatus.
Astera pars assis semis duo tertia bisse
Cussis, quincussis occussis ac inde decussis,
[1581A] Dicitur assiduus studio sibi continuare,
Dicitur assiduus dives ab asse dato.
Calliditas, astutia, et cautela, vel astus,
His prudentia, vel astutia, versutia consocietur.
Exigit, ac peragit, facit, efficit, ac operatur,
Patrat, agit, complet, consummat, perficit, implet.
Exsequitur, claudit, concludit terminat, atque
Desidit, et sinit, medios deducit in actus.
Promptuaria, vel cellaria, dic apotecas.
De primo primus qui promptuaria servat.
Est apotheca domus, cui victus traditur omnis.
Est hypotheca rei non mobilis nec domus arvum.
Rerum mobilium traduntur pignora pugno.
Pignora natorum dicuntur, pignera rerum.
Sed quia lex docuit pro pignore pignora poni,
[1581B] Nuncupat, appellat, cognominat, et vocat ista.
Vociferat, censat, sensu junguntur eodem.

Applicat appellens appello nomine quamvis.
Ostia quae reserat, aperit, panditque, recludit,
Ejusdem sensus depessulat additur istis.
Haec tria jungis: usurpat, et praesumit, et audet.
Sulcat, arat, versat glebas, colit, excolit agros.
Alget, et algescit, friget, frigescit, et inde
Algidus, ac algor, pariter maris ala vocatur,
Ac infrigatur praedictis associatur.
Ara, vel altare, domini vel mensa vocatur,
Atque tripos dici consuevit Apollinis ara.
Aras inspiciens hinc detineatur aruspex.
Induit, ac operit, amicit, vestit, tegit, atque
Velat: praedictis sensum largitur eundem.
[1581C] Est globus, atque strues, vel acervus, cumulus, agger.
Est glomus, hinc glomero, globo, conglobo nascitur inde.
Dic anachoritas, reclusos, ac eremitas.
Ex eremo venit hic. Sed ab ana nascitur inde.
Hinc anachoritae quasi corde superna colentes.
Ambulo, vel gradior, eo, vado, perambulo, pergo,
Additur his spatior, vel venero, vel proficiscor.
Dicit ave veniens, salve, valeque recedens.
Amussis, perpendiculum, quod regula signat.
Hinc ex amussim quod dicitur indubitanter.
Coelestem dic ave tibi significare salutem,
Unum mussare signat, et idem dubitare.
Obliquo, sinuo, curvo, simul arcuo, linquo:
[1581D] Omnibus his verbis sensus dedit usus eandem.
Balsamus est arbor; sunt balsama dicta liquores;
Arboris emanant opobalsama cortice caesa.
De foliis effecta scias folibalsama tristis.
Trita vel incisa faciunt colobalsama ligna.
Est vitis Bacchus sator, fore bacha sacratos
Quemlibet insanum bacchari dicimus inde.
Vivunt insane qui bacchanalia vivunt.
Sustentamentum, columen, basis, atque figura
Pes proprie fruitur sustentans, atque columna
Basilius graece, rex dicitur esse latine.
Hinc scio basilicum nasci, simul et basiliscum.
Baro baronis gravis ac autenticus est vir.
Signat idem barrus, elephas simul, et elephantus,
[1582A] Nam barres graece, grave dicitur esse latine.
Lanigeras, vel oves, balantes, atque bidentes
Dicimus: ejusdem tot nomina sunt animalis.
Esset in his si non vitaret ovicula verum.
Balteus insignes matronas aureus ambit:
Hunc auro mixta texerunt serica fila.
Beta, maguderim caulem dic esse secundum,

Hinc adjectivum nomen betasius exstat.
Significat idem bilis offensa, rancor et ira.
Sed proprie bilis est humor fellis amarus.
Ex geminis libris constat mensura bilibris.
Dicuntur bifoeres geminae valvae coeuntes.
Intono, vel resono, reboo, mugio, clamo.
A boo buccella sunt, bucula, bucca, boatus.
De cano, de bucca, cum buccinia, bucula furit.
[1582B] Os oris bucca, minuit sed buccula sensum.
Infantum buccas, ocella vel oscula dicas.
Est buccella cibus quantum semel accipis ore.
Inter se lituus, tuba, tibia, buccina distant.
Ex lituo gracilis sonus exit, grossior illis
A componenti sortitur buccina nomen.
Bubo, bubastus, bos, bostar, bucria, buris,
Bubalus, et bulcus, bucrilus, buglossa, bubulcus.
De boo praeterea fit bosforus, atque bootes.
Est bostar statio bovis; est curvamen aratri
Buris; bubastus tumidis est uva racemis;
Bos parvus buculus; sed bubalus est bove major,
Formae consimilis est alterius speciei.
Sunt pisces bulbi, sumant armenta bubulci.
Lingua bovina sonat, gramen buglossa vocatur.
[1582C] Sed cornuta sonat animalia butria graece.
Sed via bosforus est bovis appellata bubulci.
Arctoo defixa polo stat stella bootes.
Est bufo, rana, ranunculus, atque rubeta.
Est bombex vermis, egestio digerit ejus.
Serica, fit testis hujus bombicina vestis.
Turpis avis bubo, turpissima bellua bufo.
Res eadem blata, vespertilioque vocata:
Hinc declamare garritu sit blaterare.
Graecia consuevit beta rana vocitare, Sicut in Isidoro scriptum reperitur lbero,
Et bene si numeras agredula jungitur istis.
Mercedem cursus bravium victoria donat,
Ast imbrumatus omnis qui negligit escas.
[1582D] Bractea, bracteola, tenuissima lamina fertur.
Imber, hiems, bruma, tribus his res una vocatur:
Sed nomen bruma trahit a brevitate dierum.
Namque brachos graece, breve dicitur esse latine:
Fertur ymera dies. Componunt haec duo brumam.
Brucus, acelaber, res una locusta vocatur.
Hinc tres aetates tria nomina dant animalia:
Tunc brevis est bruchus; cum de tellure levatur,
Dicitur acalaber; postquam fit adulta, locusta.
Nomine concordi quasi longam dicimus hastam

Conflictus, bellum, congressus, et ala, duellum.
Obsidio, mars, atque rebellio, praelia, pugna,
Sunt acies, guerra praedictis associanda.
Est fortunatus, felix, faustusque, beatus,
Detrahens atque beans trabea dic et trabeatus.
[1583A] Res eadem femoralia sunt, perizomata, brachae.
A bracos bracale venit, lumbareque lumbis.
Fiber, idem castorque, biver, castoria cujus
Fiunt testiculi castratos dicimus tamen.
Unum significat boletus, tubera, fungi, Quos fructus terrae faciunt concursus pluviarum.
Additur asparagus. His sensus convenit unus.
Dragma, vel aureus, uma, besantius, atque talentum.
Sed dragmam proprie speciem dic ponderis esse.
Est neutrum dragma tibi, dragmatis est genitivus.
Quaestio dramaticum dicas genus esse loquendi.
Dragma melos pondus, sic dragmatis est genitivus.
Sed sit genitivus dragmae, pondus tibi denotat esse.
Pulcher, formosus, procerus, vel speciosus,
[1583B] Agnosce procerem: Juvenalem suscipe testem.
Splendidus, egregius forma, specieque venustus,
Praeclarus, nitidus, bellus, pariterque decorus.
Cunctorum procerum corpus dic esse procerum.
Marsupium, bursa, forulus, locusque, tumetra.
Est canis, est catulus, leporarius, atque mollossus,
Ne metra precarium odor insecus esset in illis.
Aether, et aethera, polus, coelum dicatur olympus.
Est latrina locus idem, cacabunda, cloaca
Signat idem; quasi triste legens tristega vocatur.
Chorda, fidis, restis, et funis, funiculusque,
Quo tu suspendis fures torquinus habetur.
Est antemna, rudens, amentum jungitur istis.
Dic a rudo rudens. Fidicen fidis et cano format.
Ambulat in fune, funambulus inde vocatur.
[1583C] Cantharus, et patera, calices, vel pocula, crater,
Scyphus, apud veteres tractantur cornua, concha,
Cimba, vel calathos, carthesia jungimus istis.
Deque spata credas sic dictos esse spadones.
Est cophinus, calatus, cum sporta sportula, corbus,
Quam lus quaxillum simul istis associandum.
Fiscina, fiscella, quo caseus efficiatur
Vas est, vas lactis multum, multraleque dicas,
Quod de mulgere sibi nomen constat habere.
Balteus, et cropheum, cinctoria, cingula, zona,
Sunt ocreae, caligae, quos tibi gestat amictus.
Camisiam, simul interulam rem dicimus unam,

Additur his alias subuncula, subirara vestis.
Crudus, crudelis, austerus, et improbus, atrox,
Est ferus, atque ferox, violentus, acerbus, et acer,
[1583D] Impius, immitis, saevus, molestus, et asper,
Asper inhumanus est, tyrannus sum, atque protervus,
Torus, indomitus his jungitur, atque severus.
Est chorus, atque cohors, conventus, concio, coetus,
Dic consortia, contubernia, dicque choream,
Turma, phalanx, acies, societum cuneus istis,
Est sex centorum sexaginta legio sex,
Ut numerum peragas super hoc sex millia jungas,
Sed quingentorum caeterum dic esse cohortem.
Conventus, conventiculum, manus additur istis
Istis, consilium, simul et constabula jungas.
Cymbala, campana, nola, tintinnabula jungas.
Campus, agellus, ager, rus, hortus, et hortulus, arvom,
[1584A] Quem colit assidue venit hortulanus ab horto,
Vela, vel aulaea, cortinae sunt anabastra,
Cortinae limbus est peripetasma vocatus.
Dicimus aulaea, quod distenduntur in aula.
Cum sit ana sursum bachique gradus ana
Certamen lites, rixas, et jurgia vites,
Est contentio, vel distentio litigiumque,
Adsit agonia quando conjungantur agoni.
Est coma, caesaries, crinis, pilus, atque capillus.
Credo caesariem maribus tamen appropriatam.
Fit de compta coma mulieribus appropriata.
Pars prior est currus capitis derasa pilorum
Anterior capitis pars crinis densa pilorum,
Dicitur hinc currus, quia circumgestat alauda,
Est juba quadrupedis, porcorum seta vocatur,
[1584B] Caesariemque viri, comam proprie mulieris.
Hujus et illius bene dicitur esse capillus.
Laurea, cernane, sertum diadema, corona,
Addas aureolam, quo pavois sic data dictam;
Et duo quod demat credo diadema vocatum,
Finem principium sicut facit omne rotundum.
Utendo generale dic currum, curriculumque,
De veho vehiculum, quod versibus est alienum.
Horum do species hic quae subscripta sequuntur:
Reddas quadrigas, carpenta, vel esseda, bigas,
Istis pilentum, fartagum, junge libramen.
Testudo, cithara, chelys, et lyra dic unum.
A cithara cithariso venit, simul et citharaedus.
Hinc lyricum carmen, lyricen, lyra cum cano format.
[1584C] Pollice tango lyram, facio cum vomere lyram.

Deliros inde fatuos censere solemus,
Et delirare discordes inde feruntur.
Ambigit, et dubitat, et fluctuat, haesitat, haeret,
Nec nisi praedictis musso suppeditat istis.
Est domus, atque doma, praesepe, domuncula, tectum,
Aedes, aediculas, habitacula, dic stationes,
His pastoforium, magalo, tuguria jungas,
Atque mapale, casa, sic ypepis, mansio juncta
Lar, et domicilium, quod tecti pars una vocatur,
Est hera, vel domina, mulier, matrona, virago.
Doctor, et instructor, monitor, paedagogus et actor,
Corrector, simul his didascalus, atque magister.
Destruo, dissolvo, populor, consumoque, vasto,
[1584D] Diruo, dispergo, subverto, dilapidoque,
Dic dumos, frutices, et rubos, arbusta, fructeta,
Deque rubo dictas bufones crede rubetas.
Arboris et fruticis loca sunt arbusta, fructeta.
Quae crescunt instar fruticis fruticare videntur.
Divitiae, vel opes, census, pecunia, gazae,
Est opulentia, vel possessio, peculiumque,
Res et proprietates: hinc proprietarius exit.
Esca, dapes, epulae, cibus, atque cibaria, pastus,
Pabula sunt etiam, convivia, victus, et esus,
Jentamen mane, jentacula dicimus inde,
Sed contra sumptum veniunt obsonia saepe,
Atque die media dat prandia debitus ordo.
Est sonipes, vel equus ferus, equiferusque, caballus,
[1585A] Istis quadrupedes, simul emissarius addes,
Est manus magnus dextrae dextrarius aptus.
Redde vectores, nos dicimus esse veredes.
Dicimus eunuchos, castratos, sive spadones,
Si quod metrum sinet his cuintitulatus in istro.
Castratos natura facit, violenta spadones
Efficit improbitas, eunuchos sola voluntas.
Vocibus his sensus verbalibus accidit unus:
Conjecturo, reor, vel conjicio, vel opinor,
Autumo, conjecto, vel suspicor, aestimo, credo.
Fossa, specus, fovea, spelunca, caverna, vel antrum.
Scrobs scrobis est fovea, sed scobis scobis utitur illa.
Traco, anfractus, cavus his addatur abyssus,
[1585B] Unde fluunt imbres, coeli cataracta, meatus.
Mancipium, famulus, et cliens, et verna, minister,
Atque administrator, puer, assecla, vernula, servus,
Satrapa praedictis conjungitur, atque satelles.
Cancellus, porus, forus, atque fenestra, foramen.

Cancellum muri quadratum dico foramen,
In quo sunt solitae sibi nidificare columbae.
Cancellus templi pars intima dicitur esse.
Est cancellare quod semper damnanda notare:
Nomina per medium quod signat linea ducta,
Quod male scripta linit, hinc cancellarius exit.
In cruce cancellat pro nobis brachia Christus.
Raptor, vel praedo, latro, latrunculus, et fur,
Sunt et stratilites, abigei, vespiliones.
Tempore nocturno fur aufert, latro diurno;
[1585C] Vispilio quasi vi spolians de jure vocatur;
Quos clam stratiletas quasi strata dico latentes;
Qui pecus et pecudes abigunt sunt abigei;
Raptoresque maris pirates quoque dicimus esse.
Gratulo, exulto, laetorque, plaudoque, resulo,
Gaudeo tripudio, vel ovo, cum jubilo, psallo,
Jucundor, simul exhilaro, sit in his hilaresco.
Gladius rumphea, vel framea, vel mucro, vel ensis,
Additur his sica, sicarius exit ab illa.
Est stilus, et graphium, calamus scriptoribus aptus.
Atque pugillaris dictus capiente pugillo.
Gibbus vel struma proprie pars turgida dorsi.
Illinc gibbosus, strumosus dicimus illinc.
Horreo, formido, metuo, timeoque, tremesco,
[1585D] Et tremo, cum paveo, trepido, paveoque, pavesco
Ignis, et igniculus format focus, atque caminus.
Est roigus, atque pira, fornacula jungimus illis.
Insanus, vehemens, vecors, vesanus, et excors,
Secors et demens, bachans, et stultus et amens
Tartarus, infernus, acheron, stix, orcus, avernus,
His erebum, baratrum conjungunt, atque gehennam.
Est juncus, scirpus, bibilus, papyrus, arundo,
Cum canna, calamus praedictis associatur.
Suffio, turifico, suffimigo, cum quibus addo
Incenso, sensum dedit istis usus eundem.
Suffio dematur quod sic autore probatur,
Et suffire locum sumpta propriavit acerra.
Interimit, perimit, interficit, et necat, occat.
[1586A] Occidit, mactat, extinguit, sive trucidat,
Suffocat, jugulat, funestat, sive sugillat,
Mortificat, truncat, determinat, exanimatve.
Janua, porta, fores, bifores sunt ostia, valvae.
Veneficas, magicas dicas, lamias quoque, sagas.
Istis signatur eadem, quibus associatur,
Hinc incantatrix, sagana, praestitigatrix.

Histrio, vel palpo, mimus, vel gesticulator,
Est epulo, nebulo, parasitus, scurra, legator,
Sic pantomimus, comoedus, vel jocularor,
De serpente nepa dictis his adde nepotes.
Calx, scrupus, et scrupulus, mola, calculus, atque molaris,
Addatur cautis quae saepe fit obvia nautis,
Petra, lapis, saxum, populus, silicesque, lapillus.
[1586B] Est chorus, et stratum, lectus, choreuma, grabatum,
Accubitus, his dormitoria junge, cubile.
Phoebe, vel luna, cynthia, mena, ac novitas lunae neumenia dicitur inde.
Cartula, vel carta, codex, liber, atque libellus.
Si breve longari licet et longum breviri.
His codicillus conjungitur, atque volumen:
Gustu libellum, visu cognosce libellum.
Subligar est ligula, caligas quae subligat alte,
Junge luto, coenum, quibus adde volutabra, limum,
Hinc coenolentus, illimus dicitur inde.
Dic mare, dic salum, dic aequora, dicque profundum,
Hic pelagus, pontum, freta, jungas bicaterassum,
[1586C] Dic amphitrem, quia circuit et terit orbem.
Est meretrix, scortum, thais, lupa, capra, chimera,
Post novam, prostans, novaria jungitur illis.
Gausape, mensale, mappas, manutergia dicas,
Addas mancile manibus quod tale vocatur.
Miles eques, tyro, tyrunculus, atque quirites,
Atque neoptolomus, novus est regnator in illis.
Materiam, vel materiem, dic esse domorum;
A paritate venit paries, quae jungitur istis.
Sed muros proprie, vel moenia, dicimus urbis.
Dicitur ac vallum, palus, ac vimine factum:
Hinc invallare res est includere vallo.
Sepibus, et septis, includitur hortus, et arvom.
[1586D] Indago silvas, silvis et latentia claudit:
Indagare hinc res explorare latentes.
Intimat, insinuat, enucleat, atque revelat,
Insignat, reteggit; edisserit, atque retexit,
Duplicat et pandit, aevo dat, promit, et edit,
Nunciat, exponit, elucidat, atque serenat,
Explicat, exercet, declarat, vel manifestat,
Exprimit, et reserat, propalat, indicat atque
Notificat: verbis his sensus convenit idem.
Expedit, evolvit, aperit, nudatque, recludit.
Interit, occumbit, mortem signat violentam,
Interit; exspirat, moritur, defungitur, atque,
Occumbit, vel obit, dissolvitur, exanimatque,
Ad naturalem concordant caetera mortem.
Excidit, exhalat, decedit eis sociatur.

[1587A] Et potes illud idem complexa dicere voce:
Tollitur e medio, naturae debita solvit,
Naturae debita nostrae generale tributum,
Clausit praesentem supremo funere vitam,
Carcere corporeo resolutus spiritus exit,
Mortuus est mundo victurus postea Christo,
Praesentis vitae cursum feliciter terminavit,
De corporeo spiritus se relaxavit ergastulo.
Fumus, et exitium, letum, mors, excidiumque,
Adde necem, vel perniciem, simul et libitinam,
His obitum, simul interitum, conjungitofatum,
Quae de mininie libeat, sic est libitina vocata,
His exterminium, simul occasum socieris.
Est linter, lembus, scapha, prora, liburna, faselus
Navis, navicula, puppis, ratis, atque carina
[1587B] Est cum classe, sclaria, vel mortaria, chelox,
Cimba, biremis eis conjungitur, atque triremis.
Quam regit ordo triplex hanc dicimus esse trirremem.
Strenuus, ingenuus, illustris, vel generosus,
Insignis, praeclarus, et inclytus, egregiusque,
Istis patronus, praesignis, nobilis assint.
Lucus, silva, nemus unum, virgulata, viretum,
Istis arbustum sociemus ab arbore dictum,
Lucarius luci custos est, hic luce lucatur.
Necto nemus, silva sileo, sed luceo lucus.
Retracto, refero, et retexo, recenseo, narro.
Negligit, et spernit, aspernaturque, refutat,
Contemnit, renuit, simul abnuit, atque recusat,
Sic parvipendit, et vilipendit in istis.
[1587C] Stragula, cento, toral, pulvinum, culcitra, lodex,
Est et plumare, sed fulta tapetibus addas,
Cum cervicali cervicidante calorem.
Lunula, luna, nyctelides, torques, et inaus, Flammea, flammeolum, cum unca, fascia, pepum,
Dextreolis, addas armillas, atque monile,
Sic cum cernale, spinter, vel fibula mitra,
Annulus, et gemma, lymber, chirotheca, thiara,
Istis pileolum conjungas, atque galerum,
De tricatora mulieribus est sua cura.
Urceus, urceolus, est urna, vel amphora, testa,
Olla vel hydria, vas vini dic esse lagenam,
Obba, vel onophorum, simul orca, fidelia, vas est,
Ampullas, phialas praedictis associamus.
[1587D] Fornix, prostibulum, genedea, turpido, lupinar.
Sumen, et arvina, sagimen, pinguedo, sagina,
Abdomen, vel adapes, praedictis adde popisma,

Praedictis tegedum conjungas, atque proseuta.
Sarcina, sarcinula, pondus, clitellaque, fasces,
Prima quam fertur sibi posuisse lagenam
Cibum quod notes, fasces dicuntur honores,
Fasciculum, et onus, globus, moles, et acervus.
Panes, artocopus, pastilla, liba, placenta,
Jungitur arthocrea, simul arthocaseus illis,
Et quia materia fruitur vice materiati Additur his similia, pariter similago, siligo.
Pallia, palliola, clamys, cum ciclade, palla,
Ac abilis, manibus, mantellus jungitur illis,
Dant pelles pallis, matrix bene, et cirogallus,
[1588A] Id quoque cuniculis dant cisimus, et laerones.
Vestes quae fuerint de solis pellibus haec sunt:
Pellicium, reno, quibus endromade socientur.
Parvulus et pusio, puer, infans, atque pusillus,
Inde pusillanimes animi ratione pusilli.
Lethofagus, cyrces, sunt acroceramina syrtes,
Sirenes est cumque ceramina, scilla, caribdis.
Fluminis est vortex, ponti dic esse caribdim.
Pellis, pellicula, cutis, atque cuticula, tergus.
Est cum carne caret cartu, cutis associatur.
Est caro cum coreo tergum, tibi tergora pellis.
Priscus, et antiquus, annosus, et inveteratus,
Decrepitus, vetulus, vetus, emeritusque, senilis,
Longaevus fit in his, sic pristinus, atque metreta.
Segnis, inersque, reses, piger, ignavus quoque deses,
[1588B] Torpidus, et tepidus, cessans, torpensque, remissus,
Igne animi vacuus, ignavus dicitur esse,
Desvescit deses, et iners dormitat in arte,
Igne sine est segnis, resides reor a residendo
Dictos, sed pigros pedibus quos dicimus aegros.
Libra, librans, trutina, pensum, pondusque, statera,
Lanx simul, examen, erit aequilibris in istis.
Appensum, stater est. Trutinam dic esse stateram.
Examen apis est, examen lingua bilancis.
Rores, et pluviae, nimbi dicuntur, et imbres,
Roscida de rore fuerit, sed hybernus ab imbre.
Bajulo, gesto, fero, sustento, sublevo, porto;
Gestio si cupio, gesto si pondera porto.
[1588C] Pergo vel gradior, adeo, vado, vel proficiscor,
Praedictis societur eo, vel itinero, verbis.
Vestigo, scrutor, exploro, quaeroque, rimor,
Scitor, vel indagor, praecunctor, sciscitor addo.
Rete, sagera, plaga, cum casse, sagerula, lima,

Reteque, reticulum, de retis retia dictum,
Hinc irretire quod dicitur illaqueare.
Rusticus, agricola, rudis, ruralis, agrestis,
Et, cum ruricola, societur villicus istis.
Custodes ovium nos dicimus opiliones,
Archimandritos constat quos esse vocatos,
Mulio sed custos mulorum dicitur esse,
Ad quos cura boum spectat dic esse bubulcos.
Inter se distant simul orbiculare, rotundum:
[1588D] Hastam dic teretem, pomum dic esse rotundum.
Effigiem pomi retinet sic sphaera, vel ovi,
Sphaerica de sphaera sic creditur esse vocata.
Regredior, repetoque, remetiior, atque revertor.
Repturio, remeo, redeoque, recurro, recurso.
Pessula, sunt obices, seraque, repagula, vectes.
Dic parmas, clypeos, ancile, vel aegida, scutum,
Pelta, rotundatur, clypei pars umbo vocatur.
Est callis, trames, est orbita, semita, limes
Viculus, et vicus, est publica strata, platea,
Est bivium via duplex, est trivium via triplex,
Sospita, quadrivium dic quatuor esse viarum,
A callo callis, sed ab orbe, fit orbita, turmis
A transcendo venit, sed iter dat semita semis.
Sol, titan, phoebus, titulus venit hunc, et ephebus.
[1589A] Scammum, scabellum, subsellia, sella, scamellum,
Praedictis pluteum, sedemque, sedilia jungas.
Est seges, atque ceres, sunt fruges, et sata, messes:
Cum seritur, seges est; sata, cum radicibus haerent;
Fruges, cum fruitur; sunt messes, quando metuntur;
Deque creando Ceres fertur quia res creat omnes.
Dicitur annona quam postulat annuus usus.
Est mausoleum, pollandum, tumba, sepulchrum,
Sarcophagus, bustum, tumulus, vel piramus una,
Dans monumenta necis conjungitur his monumentum.
Seminium, seminarium, sementis idem sunt,
Semina jungantur praedictis a sero dicta,
Et sementa res est a sero semina nata.
Discus, et catinus, lanx, et scutella, perapsis,
[1589B] Sic de lance bilanx, parasitus nomen, perapsis.
Est consors, socius, comes, collega, sodalis,
Dat sors consortem, comitem via, mensa sodalem
Missio collegam, socium labor efficit idem.
Signifer, aut signarius, rem signat eandem,
His primiferus, vexillifer associetur,
Primus pila ferens est primipilus in istis.
Splendet, et irradiat, fulget, nitet atque coruscet,
Emicat, atque micat, rutilat, claret, atque relucet.

Plumes, caries, sanies, pus res eadem sunt,
Sordes, spurcicia, fex, et feculentia squalor,
Cum macula, tabes, his sunt contagia, labes,
Dic sordes cupri, scoriam dic esse metalli,
Dat tabi tabo non plus per caetera quaero.
[1589C] Glabero sit, cujus caput occupat est glaberosus,
Corporis at reliqui scabies, hinc est scabiosus,
Pustula corporibus totaliter haeret, et ulcus.
Est serpens, hydrus, coluber simul hydra, celindrus,
Vipera praedictis nepa conjungatur, et anguis,
Atque dracena, draco, sunt scorpio de speciebus.
Immolo, sacrificio, sacro, lito, mactito, macto.
Nomen carnificum de mactando trahit ortum.
A lanio dictos quos dicimus esse lanistas.
Calceus, est solea, pero, vel sotularis, aluta:
Est quia munda luto, nomen sibi sumit aluta.
Est fatuus, stolidus, erroneus, insipientisque,
Inscius, et brutus, simplex, idiotaque, stultus
Indoctus, simul insipidus conjungitur illis,
[1589D] Inconsultus, et eligius cui verba negantur.
[1590A] Incautus, sit in his imprudens, inque peritus.
Templa, monasteria, delubraque, fana vocantur,
Basilicam, simul ecclesiam conjungimus illis.
Pila, vel hastile, jaculum, catapulta, sagitta,
Missile, vel telum, nec enim addatur arundo.
Ops, humus, atque solum, rea, terra, vel arida tellus.
Lar, thalamus, camera, simul et penetrale, recessus,
Addas conclave, vel canapeia, penates, Reticulum nobis scriptura notat canopeum.
Sunt canopeia, tentoria, papiliones Quod corium supra portat sic credo vocatum.
Thuris thuribulum, dic incensoria vasa, Et quod idem signat istis societur acerra.
Vina, merum, bacchus, bromus, vel Liber, yacus,
[1590B] Istis lenaeus conjungitur, atque Liaeus,
Atque tenens mentera temetum venit hinc temulentus.
Est ydromel, mulsum, nectar, cerevisia, cisra,
Pigmentum, mustum, mellicratumque, falernum
Est sapa quam medici ponunt sub nomine vini.
Est turbo, ventus, et flamen, flatus, et aura.
Ventorum species complectere versibus istis:
Sunt subsolanus, vulturinus, eurus, eous,
Circinus, occasum Zepherusque, foveonus afflant,
Sed veniunt aquilo, boreas, et chorus ab arcto,
Atque die medio nothus, et africanus inflat.
Est indumentum, vestis, vestitus, amictus,

Exuvias, spolia, cum pannis, addite texta.
[1590C] Quod tegitur tectus, depellit frigora textum,
Panniculus inopis, velamina jungimus illis.
His vestimentum societur, et operimentum,
Quod vero longatum versu nequit esse locatum.
Unum significant, vinetum, vinea, vitis;
Vinetum proprie loca sunt, ubi vinea crescit.
Pampinus est folium, botrus flos, vinea fructus,
Surculus, aut ramus, est palmes, sive propago.
Uvam multa simul, dic singula grana, racemos,
Vinea sylvestris, sterilis labrusca vocatur.
Alvus, et alveolus, est venter, ventriculusque,
Additur his uterus praegnantibus appropriatus,
Virginis est alvus, et sic ab alendo vocatur.
Ex utero dicti germani sunt uterini.

[1590D] Expliciunt synonyma.

FRAGMENTUM EX LIBRO DE AEQUIVOCIS.

[1589D] Augustus, ti, to, Caesar vel mensis habeto.
Augustus, tus, ui vult divinatio dici.
Mobile cum fiat augustus, nobile signat.
Augeo dat primum, dat gustus avisque secundum.
Aura, favor, splendor, flatus dicatur, et aer.
[1590D] Est abacus mensa, metrum capitale columnae.
Haec acus est stilus, calamistrum, subula, rome.
Hoc acris faciet, sed acus dabit haec genitivo.
Hoc acus est palea, sicut haec acus, hic acus, ornat, etc.

FRAGMENTUM EX LIBRO DE MYSTERIIS ECCLESIAE.

Dedicatio. Anglia quo fulget, quo gaudet praesule claro
Londoniae, quo Parisius scrutante sophiam
Florebat studium. Basis aurea, fulgide Fulco,
Firmae justitiae: Mysteria suscipe sacrae
Ecclesiae, studio distincta metroque Joannis.
Tutus ut veniant in apertum iudice tanto
Mystica, Parisius licet haec recitata probentur,
Exposcunt subtile tuum pie pastor acumen,
Qui sacer instituis sacros et sacra ministros.

Mysteria Ecclesiae.

Est domus ecclesia Domini. Summus faber illam
Ex petris vivis, quadris pariterque rotundis
[1592A] Construit in coelis, et amoris schemate jungit
Fundamenta locans. Pes et basis est petra Christus.
Circumstat paries populus gentilis, hebraeus.
Christo fundatus per partes quatuor orbis.
Sancti quadrati lapides sunt, celte politi.
Quadrata stabiles virtute, poloque parati

Artificis summi praedocto pollice.
Quorum
Quidam portantur, nec portant:
simpliciores
Sunt isti: Portant, portantur: sunt mediocres.
Sunt et portantas, non portati: Tamen hi sunt
Sancti, quos Christus ad coeli sidera portat.

FRAGMENTUM LIBRI DE ORTHOGRAPHIA.

[1591A] Si quis in ecclesia legis usquam verbula diva,
Ut vites vitia, sis doctus in orthographia.
Inspice si prosum, me ne fac invidiosum
Invidiae mete. Nec laudem quaero poetae,
Quamvis sit rarus. Ne sit mihi sensus avarus.
[1592A] Non sic detenta mihi tradita quinque talenta.
In te spes Christe mea figitur, ut liber iste
Per te completus sit, te fulsimine fretus,
Cum sit scripturae fons omnis littera jure.
Principio quod sit de se tractatio possit, etc.

SANCTI ABBONIS FLORIANENSIS ABBATIS QUAESTIONES GRAMMATICAL ES.

(MAI Classici Auctores, V, 329.)

MONITUM.

Prodit hoc opusculum ex codice regio Vaticano cujus aetas ipsi auctori suppar videtur. Profecto hujus opusculi perbreve partem vulgavit Mabillonius in Annalibus Bened., tom. IV, append., p. 631; sed quia pars multo maxima hactenus erat inedita, eam hic trado.

[521] 1. Dilectissimis in Christo Anglignis fratribus, maximeque in monasterio sancti Patris Benedicti sub schola virtutum regulariter vitam degentibus, [522] ex Floriacensi coenobio ejusdem Patris vernula ABBO, genere Francus, professione monachus, officio diaconus, in essentialiter bono salutis perpetuae munus.

[523A] Omnipotentia divinae majestatis, quae tempora mutat et ordinat, me ab ineunti aetate, prout voluit, multifariam et multis modis tentari permisit, quoad juvenilis aetatis robur adversitatibus assuesceret, cui ad cumulum virtutis tandem succresceret infortunium oblatae peregrinationis. Quam etsi inter tot religiose vitae viros, Deo auctore, perfero, qui me quasi seipsos diligunt, ut ipsa re conjicio; non tamen voti impos, sine dolore recordari valeo, quod illius mei spiritalis alumni in praesentiarum corporali praesentia

minime perfruo, quae aliquando perfruente erat vita ipsa dulcior. Nunc quia ita contigit per obedientiam, quae melior est victimis, non solum fratrum cum quibus moror imperiis deservire gestio, verum etiam quibusque hujus insulae juxta [523B] modulum meae parvitatibus desidero prodesse, quoniam non sine divino constat moderamine gestum quod, sedatis fluctibus marinae tempestatis, ad id deveni exsili cum mira tranquillitate tam vasti aequoris; ubi dum quibusdam studiorum occupationibus detineor, levior sit calamitatis miseria quam tolero, quandoquidem benevolentia eorum cum quibus habito ad id me compellit ut non solum pro posse velim fraternis necessitatibus succurrere, sed etiam ultra vires velle. Quocirca omnium apud Anglos, ubi ubi positorem objectis respondere decrevi, quatenus habeatis, charissimi, aliqua monumenta vestri exsulis, quibus valeatis intendere acumen exercitatae mentis. Nec fraudabor vos quaestionibus expeditis, quas vel tentando vel dicendo objiciunt [523C] quique studiosi. Cui etsi ab aliquo opponatur aemulo, in silvam ne ligna feras, certum tamen habeo quod vestri ingenii sterilitas vel inopia mei non sit indigna convivii copia, quae hoc modo se habeat.

2. In quaestione prima quaesitum est salubris penultima correpta, an producta dici debeat vel conveniat. Quibus ego proposui quae in antiquis Latinae linguae auctoribus me legisse pro certo habui, et ne vestra memoria laborentur, etiam litteris digessi. In primis Donatus dicit quod si in trissyllabis et tetrasyllabis et deinceps, si penultima positione longa fuerit, ipsa acuetur, et antepenultima gravi accentu pronuntiabitur, ut Catellus, Metellus: ita tamen si positione longa, non ex muta et liquida fuerit; nam mutabit accentum, ut latebrae, tenebrae.

[523D] Quo loco inoluit quia si cujuslibet partis penultima syllaba desinat in correpta vocali, quae excipiatur a duobus consonantibus, quarum sit prior muta et sequens liquida sit, nunquam illa pars trisyllaba vel tetrasyllaba acuetur in penultima, sed mutato accentu potius in antepenultima, licet in medio utrumque fieri liceat, prout fuerit poetae voluntas. Nam si sint verbalia feminini generis, vel alia quaeque naturaliter producta, propter mutam et liquidam breviam non possunt ullo modo; hoc enim significat conditio apposita, si talis syllaba positione longa sit, accentum in antepenultima mutari.

3. Sed natura exemplorum penultimae longae sunt, [524A] sicut quidam volunt, qui putant ea derivari a verbis secundae conjugationis, a secunda scilicet persona imperativi modi quae est producta, ut teneo, tenes, tene, tenebrae; lateo, lates, late, latebrae. Accentus igitur ante penultimam non mutatur. Sic etiam a verbis primae conjugationis aestimant fieri, lavo, lavas, lava, lavacrum, aratrum, ventiliabrum; et a tertia conjugatione terebrum, et si qua sunt similia: quae etiam absque ulla regula, seu Graeca sint seu Latina, eodem modo pronuntiant, ut theatrum, feretrum, pharetra, cathedra. Quorum omnium nomen et reliquorum similitum, si penultimae natura longae sunt, nec etiam in metro breviam possunt. Sed teste Donato falsum est quod

praecedat; falsum ergo est et quod sequitur. Illa vero his similia quae per syncopam [524B] perdunt unam litteram, semper servant, teste Martiano, in eadem syllaba accentum quem prius habuerant, ut manipulus, manipulus, venabulum, venabulum. Denique de his quae a nominibus fiunt, auctor est Priscianus quod nominativo primitivi aliquando ultima subtrahitur, et additur bris, ut possit esse mulier, muliebris, et salus, salubris, quod etiam nominativum saluber protulisse veteres ostenditur hoc versu:

Phoebe saluber ades.

Unde conjicitur quod satis regulariter ejus penultima producitur, dum de nominativo producta ipsum solum habetur. Nam syllabam naturaliter productam nusquam in metro correptam me legisse memini, [524C] nisi per figuram systolen; excepto quoties vocalis ante vocalem producitur, ut illius, unius, diei, speciei; siquidem verbalia feminini generis producta, ut supra dixi, nullo modo inveniatis corripere eorum extrema syllaba, quoniam t habent ante rix praeteriti participii desinentis in tus.

4. A quibus oriuntur ista verbalia, ostendam vobis regulas. Exceptis quatuor participiis, quae sunt satus, ratus, status, datus, reliqua omnia habentia a ante tus in praeterito producuntur, ut amatus, unde amator, amatrix.

Inveniuntur producta participia, quae habent e ante tus, ut recensetis. Unde Prudentius in passione Hypoliti martyris:

Cumque recensetis constaret partibus ille.

[524D] Si vero i ante tus habuerit, ubique penultima corripitur, nisi veniat a verbis quartae conjugationis, ut domo, domas, domitus; moneo, mones, monitus; audio, audis, auditus; condo, condis, conditus: unde masculina domitor, monitor, auditor, conditor. Ex his feminina domitrix, monitrix, auditrix, conditrix. Producuntur in tertia conjugatione oblitus, quaesitus, tritus, petitus et cupitus, et quae ex his componuntur. Notandum tamen quod oblitus, si a verbo componitur quod est lino, corripitur. Et in quarta tantum corripuntur duo, queo simul et eo, et quae ex his componuntur, ut eo, itus; exeo, exitus, ex quibus verbalia non legi. Denique si u ante tus habuerit idem praeteriti, tunc ejusdem praeteriti [525A] penultima fit brevis, si a verbo ruo compositum fuerit; ut eruo, erutus; obruo, obrutus. In reliquis producitur, ut induo, indutus; exuo, exutus; adjuvo, adjutus, unde adjutor et adjutrix. Quod si o ante tus exstiterit, semper erit longa, ut moveo, motus; foveo, fatus; lavo, lotus, quod et lautus facit. Tandem ex hujusmodi regulis scire potestis quod naturaliter productas syllabas penultimas propter mutam et liquidam nulla necessitas metri corripit, cum omnes tales naturaliter correptae produci possint. Quapropter Donati vel Prisciani potius regulis dare operam suadeo, quam audacibus juniorum inventis ex improviso, et dicere in prosa penultima correpta, candelabrum, delubrum, aratrum, lavacrum et si qua sunt similia, praeter illa quae excepta [525B] sunt, et unum nomen october, ut post modum quaestis producere metri necessitate.

5. De nomine quod est mulier requisitis quo accentu ejus genitivus debeat pronuntari. De quo sciendum est quia, quamvis ejus penultima brevis sit, euphoniae causa solet acui, sicut et verba calefacio, calefacis. Cum enim omne nomen dissyllabum et deinceps in er desinentibus brevium, si genitivus ejus supra duas syllabas excreverit, semper penultimam corripit, nisi positio adsit, aut penultima nominativi naturaliter producta sit, ut October, saluber, equester.

De pronomine quoque, ut quibusdam placet, quod est alter, alterius, cum sequatur regulam pronominum in ius desinentium, quae in prosa penultimam [525C] producant, hoc solum excipitur, propterea quod solum duas syllabas plus habet in genitivo quam in nominativo. In quinta quoque declinatione unius genitivi trisyllabi penultimam corripit in prosa sciatis, ut fides, fidei; quia non habet i ante e, sicut habent reliqua trisyllaba genitivorum declinationis quintae.

6. Verba quoque proposita, quae sunt irrita, assevero, persevero, radico, et ex eo compositum eradico; relego et allego, instigo et subrepro, notate semper penultimis productis. De eo quidem quod est irrita Virgilius sic ait in X:

Irritatque virum telis et voce lacessit. licet quidam vitiose scriptum legant irritat atque virum telis, quod nullo modo posse fieri, ordo praepositivae [525D] conjunctionis ostendit. Et idem Virgilius in IV:

Illam terra parens ira irritata deorum. Nec vos turbet quod irritus, irrita, irritum penultima correpta dicimus, ut idem Virgilius in V:

Ante locum et variis assultibus irritus urget. Idem in X:

Irrita deflexit partim stringentia corpus. Quod assevero ditrochaeus sit, sicut et persevero, ex nomine agnoscitur, quod est severus, ex quo tractum videtur. Est enim severus amphibrachys, teste Prudentio in Psychomachia:

Fronte severus adhuc, et multo funere anbelus. [526A] De eo quod est radico, sciendum est quod sicut fiunt verba ex obliquo casu nominis neutri generis, ut munus, muneris, munero, muneris, et decus, decoris, decoro, decoras; unde Flaccus:

Ac bene nummatum decorat suadela Venusque. sic etiam index, indicis; indico, indicas; fornicis, fornicis; fornicio, fornicar; cornix, cornicis; cornico, cornicar; unde Persius:

Nescio quid tecum grave cornicaribus inepte; et radix, radicis; radico, radicas: unde est illud:

Radice altis sensibus. Est enim dimeter iambicus, qui in Ambrosianis primo loco semper iambo vel spondaeo est contentus. Ut vero penultima corripit putetur, Phocae auctoritas [526B] compulit, qui ipsum nomen inter correpta excipit, licet producta ubique inveniri possit, ut Virgilius:

Aut Ida in magna radicibus eruta pinus. Horum namque quatuor quae protuli, duo penultima genitivam corripunt, id est index et fornicis; duo producant, id

est cornix et radix. Relego et allego, notate quod si a verbo primae conjugationis ponantur, semper penultima producant; sin a tertia conjugatione gaudet correptione unde est, culpam releget lubricam. Est quoque hic dimeter iambicus, cujus secundum locum semper sibi vindicat iambus. Nam lego, legas, quod est legatione fungor; unde legatus, missus, longam habet le, lego vero, legis, in quacunque alia significatione correptam, sicut et [526C] ligo, ligas, unde religatus, id est iterum victus. Quomodo pronuntiandum sit instigo, Virgilius ostendit in V:

Instigant studiis, resonat clamoribus aether.

Eodem modo investigo, castigo, inspico. Subrepro quoque, si a verbo quod est repo componitur, productione laetatur, sin a rapio, corripitur; et illud praeteritum subrepsi, istud facit subripui.

7. Exaro, denoto, penultimas corripunt, ut Virgilius in primo Georgicon:

Nudus ara, sere nudus, Et Horatius:

Paterna rura bobus exarat suis; qui versus trimeter est iambicus totus solis iambis compositus. Demeto, dememor, penultimis correptis. [526D] Horatius:

Accidit ut quidam testes caudamque salacem. Demeteret ferro. Virgilius in X:

Turne sed infelix Teucros quid dememor armis, De eo quod est exhalo Lucanus in quarto:

Exhalat nebulas quidquid concrecere primus. Et de eo quod est mano Virgilius in III:

Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

De eo etiam quod est infidus et getulus, Lucanus in IV:

Infidusque novis ducibus dubiusque priori, [527A] Et:

Inculto Getulus equus. Diffidit, discidit, si a findo vel scindo composita sunt, penultimam corripunt. Horatius:

Diffidit urbium Portas vir Macedo, et subruit aemulos. Est enim diffidit urbium choriambus cum pyrrhichio; deinde sequitur versus asclepiadeus. Idem Horatius glyconico versu:

Nequidquam Deus abscondit.

8. Nec vos latet quod omnia praeterita participii desinentia in sus penultimam producant, ac a verbis secundae et tertiae conjugationis veniunt; ex quorum secunda persona praesentis temporis agnoscitur poterit ejusdem participii penultima natura an positione sit [527B] longa, quoniam nisi in illius secundae personae penultima positio sit, in praefato participio nunquam erit; exceptis sedeo, fodio, quatio, patior, pateo, careo, maneo et cedo, quod est locum do, et quae ex his componuntur. Et positione producantur mordeo, morsus, findo, fissus; natura vero, caedo, caesus, fido, fisus, et alia plurima, quae idcirco propositi ut non solum scripto, sed etiam sono distinguatis, fisum et fissum, caesum

et cessum, ferum et ferrum, pyrum et Pyrrhum, et si qua sunt similia; quia fortius sonat omnis consonans in medio unius partis repetita, quam cum est sola. S autem quae in media parte simplici nunquam finit syllabam consonante sequente (sicut nec c nec p, nisi cum ipsae se praecedunt,) tam levi [527C] sono ubique sola exprimitur ut apud Graecos, auctore Prisciano, pro ea aspiratio nonnunquam scribatur, pro semis, pro sex, pro septem. Inter duas etiam partes cum s praecedit, ut Deus summus, ne nimius sibilus sit, prior s sonum perdit, quae et eo loci sequente vocali interdum synaloepham facit. Virgilius in XII:

Inter se coisse viros, et decernere ferro.

E contra illa canina littera r semper aspere sonat, nisi cum in media parte orationis post vocalem inchoat syllabam.

9. De mutis, quae quamlibet syllabam vel partem cuiusque linguae possunt terminare, dicendum est in commune quod satis juste agunt qui ipsis eundem sonum in fine partium tribuunt, quem dum semetipsas [527D] praecedunt, primae habere possunt, ut Obbaob, Job, occidit, haec, illac, addo, ad, illud, agger, Agag, merop, attinet, amat, docet. Sed t in eadem syllaba, praecedente consonante, sonat expresse ut fest, est, et nonnunquam sine consonante causa differentiae, maxime dum sequitur vocalis in altera parte orationis. Nos quia humanus spiritus tres earum sine aspiratione leves, cum aspiratione asperas facit, id est c, p, t, quarum medium obtinent tres reliquae ipsarum mediarum voces in dictionibus positarum, exprimimus sono levium, dum in finibus partium sunt Nec mirum, cum inter has et illas tanta sit vicinitas, ut ad sonum c et g prope eodem modo collidatur palato plectrum linguae, ad sonum p, b vix distinguatur [528A] pulsus in laborum agitatione, a sonum t et d satis parvam differentiam faciat, dum resilit a dentibus summitas linguae; sicque fit ut etiam per se positae inveniri possint, quandoquidem dicimus quingenti pro quingenti, et actus pro agtus, et scriptus pro scribtus, et attinet pro adinet, et id genus plurima.

10. Constat igitur ex his quae dicta sunt c et g pene aequaliter pronuntari, sequente qualibet vocali. Sed tribus vocalibus, id est a, o, u, eas sequentibus, omnibus ferme notum est quod sonant in faucibus. Cum vero c litteram sequuntur in eadem syllaba e vel i, trifariam solet pronuntari, et nunc quidem ut fere videatur sonare g, maxime s praecedente, ut suscipio, suscepi, suscepit; nunc autem cum quodam [528B] sibilo, ac si s illi haereat, ut cujus, coepit: quod magis solet fieri ubi t profertur sono z in principio syllabae, ut laetitia, justitia. Denique qui tertium modum addunt sono quae vel qui, easdem syllabas pronuntari decernunt, et suscipio pro suscipio, et suscepit pro suscepit, et quis pro civis; quod quam frivolum constet, omnibus vera sapientibus liquet. Cur enim scriptitant Latini sequor, sequeris vel sequere, sequitur; et non secur, seceris, vel secrete, secitur, cum ab eo sit secutus? et qui, cujus, vel quae, cujus, mutatis primis litteris nominativi et genitivi, si, ut isti garriunt, ce et ci sonum habent quae et qui, maxime cum eidem litterae simillima g distinguatur vocalium mutatione? Siquidem vinco, vinci,

vince, vincam, mutato cum vocalibus sono dicimus, [528C] quemadmodum et lego, legi, lege, legam. Quod si post g idem quis fecerit, proponimus unde sit imperitia notabilis; et stultum est dicere pingue pro pingue, et linguae pro linge, et ut Servio placet in IX Aeneidibus, ungue pro unge, unde et unguentum sine u dicit esse cum g; sicut et q tunc tantum pinguem sonum habeat, si ei v ante alteram vocalem adhaereat, qua amissa, g quidem permanet, sed q manere non valet; quin in c transit, statim ut a ante alteram vocalem perdidit, ut sequor, secutus.

11. Denique quoniam omnes consonantes, et praecipue mutae, vel exanime corpus jacent, quousque illas singulae vocalium pro suo nutu animando movent, certum est quod nonnunquam Romani superfluas litteras judicant, quae hoc motu carent, ut h, [528D] k, q. Sed k et q figura et nomine a c discrepant, cum sono vocis per a et u convenient; h vero tantum metro utilis, semper absque ullo sono vocalibus praeposimus, ubi ascribenda videtur; et consonantibus, quibus apponenda est, postponitur, ut ab interiore spiritu pinguior proficiscatur. Est autem una semivocalis r; mutae tres, quibus aspiratur, ut dictum est; de quarum omnium sono nemo dubitat, nisi fortassis tunc nota inter c et e, vel i, interponitur nota aspirationis, ut Chereas et parrochia. De qua re sciendum quia ut in Latinis exemplaribus discimus, nostri interpretes si qua Graeca Latinis admiscuerunt, quae per k Graece scripta sua littera c experimerent, cum scriptura sono mutavere, juxta [529A] proprietatem utriusque linguae, ut, Cyrus, coena, unde primicerius. Nec mirum, cum mutetur et dicatur Deus. Similiter, purpureus. Quando vero ch pro, sicut et ph pro, et th pro in aliquibus dictionibus scribunt nostri, certum est quod illae dictiones Latinae non sint, et idcirco illas proferimus Graecarum litterarum sonis, licet quidam figurarum similitudine decepti pronuntient X pro, et dicant arxe pro eo quod est, et maxaera pro. Quapropter cum Graece scribitur, ita profertur ac si scriberetur Kereas et quasi parrochia; quem tamen sonum mutat sigma, si pro illa sit posita ut; quam vim et apud Latinos servat s, apud quos t semper enuntiatu sono ci, si post illam in altera syllaba [529B] sequatur vocalis, nisi ipsa s praecesserit, ut lectio, quaestio, testium, legentium; quam etiam s duplicabant antiqui pro littera z, quae ubique in extrema syllaba dictionis ponitur, ejus penultima in prosa producantur, cum in metro communis habeatur.

12. De littera g scitote quia si non sequatur u, propter diphthongum non impingatur, ut lagoena, tragoedia. Sed aspirationes bene vos, Angli, pervidere potestis; habent sonum vestrae litterae, et qui pro frequentius b scribitis, sicut pro digammate effertis l. Ante consonantem quoque in eadem syllaba par sest, pro pars est, et felix pro felix es. Pupugit et tutudit in penultimis corripit non ignoretis. A tundo, tensus in compositione perdit n, obtusus et retusus, sicut et nanciscor, nactus: dissero quoque perdit [529C] s in praeterito, disertus. Horatius:

Fecundi calices quem non facere disertum, Quod a cedo ita scribatur praeteritum, quomodo et a cado, videlicet cecidi,

auctor est Priscianus, qui docet quod omnia verba quae crescunt in praeteritis, semper repetunt non solum primam consonantem, sed etiam primam vocalem primae syllabae.

13. Tandem dicendum est quod vitando cavenda est collisio quae solet fieri vel pronuntiatione vel scripto ut ve... t rex, pro eo quod est venit praesentis temporis tam in prima quam in secunda syllaba praeteriti, nisi illa prima vocalis praesentis temporis sit a, ut tendo, tetendi; posco, poposci, tundo, tutundi; exceptis pello, pepuli; spondeo, spondui; nam si littera a sit in praesenti, semper [529D] prima syllaba praeteriti in c desinit; secunda vero modo in e productam, modo in i correptam, ut fallo, fefelli; parco, peperci; tango, tetigi; cano, cecini. Secundum analogiam cedo cecedi facere debuit, sed majorum auctoritate tantum penultima diphthongus mutatur in productam i, manente priore syllaba correpta, quae antecrevit, sicut in omnibus ejusmodi praeteritis; de quibus in commune speculandum est, quod si componantur pro voluntate scriptorum, inveniuntur eadem antecrescentem syllabam [530A] servare vel perdere; nos tamen quid magis in usu sit debemus perspicere. Horatius:

Spectatum meritis diram qui contudit hydram.

14. Quia de verbis requisistis, quae sunt fulgeo, mulceo, ferveo, strideo, oleo, tueor, coniveo, sedeo, pendeo, cieo, fredeo, degeo, excelleo, tergeo, cum apud poetas secundae et tertiae conjugationis legantur, quam earum conjugationum in prosa magis tenere conveniat; vos scire volo quia VIII, prius proposita conjugationis secundae regulam servant in praesenti, reliqua deinde conjugationis tertiae, exceptis cieo et pendeo, quorum primum, vel simplex vel compositum, nuñc est conjugationis secundae, nunc quartae, quod ostendunt passivi praeterita, quorum [530B] penultima est correpta vel producta. Pendeo vero simplex a suspendendo, est secundae, et a solvendo, tertiae; quamvis compositum in prosa nunquam dicatur secundae, sicut nec a sedeo tertiae, nisi tantum considero. Et notandum quod sedeo, vel simplex vel compositum, sub tertia conjugatione gaudet penultima in s desinente producta, ut sideo.

15. De prima quoque et secunda persona plurali praeteriti perfecti, et futuri conjunctivi modi, quas si bene meminisse semel tantum in metro, et hoc in Virgilio legi, hanc regulam esse sciatis quod, excepto tempore praesenti indicativi modi quartae conjugationis, et secunda persona plurali praeteriti ejusdem modi, in omni modo vel conjugatione i ante extremam litteram in secunda persona singulari, et ante novissimam syllabam primae vel secundae personae [530C] pluralis, ubique brevis sit, nisi tantum sis, simus, sitis, velis, velimus, velitis. Nec mirum, cum omnia verba in eisdem locis a vel e habentia longa sint, praeter unum quod, sive simplex sive compositum sit, da ante penultimam ubique corripit, ut damus, circumdamus; et aliud quod est es, et ex eo composita, in secunda persona breve est. Nos tamen regulam ob id in praefatis temporibus conjunctivi floccipendimus, quia in metro semel inventam Servius per systolam tradit

legendam. Meam denique reprehensionem non pudet vobis exponere, qui cum aliquando cuidam fratrum vestrati, proferenti ex libris moralibus myrmicoleonae, assensum praevissem, sannam passus reticui. Sed tamen ille [530D] si animadvertisset in eodem libro genitivum myrmicoleonae, non negaret nomen appellativum desinere in on, cujus genitivus etiam simpliciter more Graeco t assumit, ut leon, leontis.

16. Haec in on terminantia Graeca, quae apud illos penultimam genitivi producunt et corripunt, aliquando more Latinorum nominum apud nos in o desinunt; et tunc eandem litteram servando, in obliquis casibus producunt; quam, nisi sequeretur et corripere, si a nominativo in on terminante venirent, [531A] ut Simon et Simo, Sidon et Sido. Virgilius in primo:

Sidoniam puer ire parat mea maxima cura.

Idem in IX:

Cratera antiquum quem dat Sidonia Dido. Cratera, statera, panthera, seu Graece seu Latine declinantur, penultimas productas invenio, veluti in superiore versu Virgilii. Accusativus Graecus tertiae declinationis frequenter desinit in a: aera, aethera. Similiter, auctore Prisciano, omnia Graeca in a desinentia, et diphthongo antecedente, si ad Latinam declinationem inflectantur, mittunt eandem diphthongum et in ei vel in i productas, Calliopeia, Calliopea; comoedia, comoedia. Sed cum in metro i corripitur, in prosa tamen naturalem servat [531B] accentum, excepto uno nomine Alexandria, quod et Alexandria facit, unde producta penultima dicimus psalmodia, melodia, ut saltem ex hoc Graeca esse intelligantur. Metri causa tamen brevia sunt, Horatius in poetica:

Effutire leves indigna tragoedia versus, Eadem dicta sint de his et similibus, spondaeus, Matthaueus, platea, Nicaea, quae non esse Latina monstrat pronuntiatio ipsa. Extra hanc regulam sunt ecclesia, neomenia, et si qua sunt similia. Simili modo Heliodorus, Polydorus. Virgilius in III:

Fas omne abruptum, Polydorum obrunctat et auro, Juvenalis:

Tonsoris Licini damno rapit Heliodorus, Sic et reliqua Pandorus, Gassiodorus. In or vero [531C] propriam penultimam genitivi habent correptam, ut Castor, Castoris, Nicanor, Nicanorus.

17. De eo quod est bos, scitote quod dativus et ablativus plurales tertiae declinationis formantur a genitivo suo singulari, interposita bu, ut pater, patribus; similiter, bos, bovis, bovis, cujus prima syllaba brevis dum syncopam patitur, prolongatur. Virgilius:

Ille meas errare boves. Horatius Saphico versu, cujus secundo loco est spondaeus:

Quaeque vos bobus veneratur albis. Putatur tamen mutare o in u, dum producitur, et hinc buculam et bucolica carmina per u productam [531D] scribenda. Os, ossis, et ossum, ossi, declinaverunt antiqui, et ideo ut sit differentia singularis et pluralis numeri, per duo u scribunt moderni. Nec mirum

cum Virgilius sola causa metri dixerit in VIII:

Alituum pecudumque genus sopor altus habebat. Nec hoc recedat a vestra memoria quod nomina trisyllaba et deinceps, quorum extremae syllabae incipiunt ab n, penultimam habeant longam a, vel e, vel u, terminatam, ut Garganus, tribunus, terrenus. Excipiuntur tantum sagana, lagana, orphanus, Satamon.

[532A] 18. Solet quaestio fieri in libro Machabaeorum quae constructio sit, et meminerit testamenti sui quod locutus est ad Abraham, Isaac, et Jacob servorum suorum fidelium; quasi dicere debuisset, ad Abraham et caeteros suos fideles servos. Sed dicimus quod Zeugma est, ut sit, meminerit testamenti sui quod locutus est, et caetera; et, meminerit servorum suorum fidelium. Illa etiam constructio et sermonem quem auditis non est meus, similis est, urbem quam statuo vestra est; lectionemque quam audistis vobis prodest. Quae licet soloecismo sit notabilis, hypallagem tamen figuram exigit; ut illud:

Caesarie caput ille niger, Pie, talia dicta, Cui relegendo placent quos facit ille modos.

19. Comparationum gradum dicunt grammatici [532B] servare semper ablativo casui; sed in opusculis Augustini legi quod si rebus propositis eundem casum comparativus junxerit, extra ipsas res erit quod idem gradus intulerit, ut puta sint tres docti: si requiris quis eis doctior sit, quartum procul dubio tibi reddi cupis; sin per genitivum quis eorum sit doctior investigas, unum ex his tribus doctiorem scire desideras. Quocirca, ut idem doctor ait, cum nominentur tres virtutes, fides, spes, caritas, melius est dicere neutraliter, major horum quam major his est caritas, ut non quartum aliquid introducas, sed in rebus propositis quid majus sit discernas. Unde Martianus in Philologiae Nuptiis, major filiorum Prognas, inquit.

IN DEI PALINODIA, quam composuit Hilarius Pictavensis [532C] episcopus, non juxta quorundam imperitorum errorem suscepistis, sed potius suscepturus legendum est: Tu ad liberandum suscepturus hominem. Futurus enim participii activi, cum ejusdem significationis verbo junctus, suggerit consequentiam cujusdam competentis ordinis conditionaliter, ut vix possibile sit alterum fieri, nisi alterum praecesserit. Ut, Visitaturus fratres Anglicos, Os., archiepiscopum, non horruis maris periculum, etc.

20. Sicut lustrum dicebatur spatium quinque annorum, quod lustrabatur urbs, et ab omnibus gentibus solvebatur tributum, ita etiam olympias dicitur spatium quatuor annorum, quod inventum temporibus Oziae sacerdotis exigerat, ut hoc spatio peracto solverent ludos Jovi olympico. Unde et [532D] Dominus fertur centesima nonagesima tertia olympiade natus; et in libro De laude virginum ducentesima sexagesima septima olympiade fuisse Diocletianum novimus persecutorem Christianorum. A prima enim olympiade quidquid factum dicitur per quaternarium multiplicata, numeri summa manifestatur, sicut in chronicis dicitur.

21. In fide quoque catholica quam assertor veritatis edidit Athanasius, post multas persecutiones repertus per omnia orthodoxos, unus versiculus ita legendus est: Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens, [533A] licet multi pro simplicitate intellectus sui contentur abradere id quod est nec genitus, propterea quod apud alios catholicos saepe legitur Spiritus sanctus nec genitus, sed procedens, licet multi nec ingenitus, sed tantum procedens. Qui correctores si recurrerent ad interiorum logicae considerationem, profecto perviderent in utraque assertionem stabilem fidei firmitatem. Habet sane eadem fides in divinitate Trinitatis quod alia sit persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, quas proprietatibus informant catholici, non diversas temporibus aut locis. Nam quod Pater non est factus nec creatus, commune est ei cum Filio et Spiritu sancto; quod vero non est genitus, commune est cum Spiritu sancto, sed non cum Filio; quod autem Filius est genitus, differt ab eo [533B] Pater et Spiritus. Cum ergo Pater sit ingenitus, Filius genitus, Spiritus vero sanctus nec genitus nec ingenitus, constat quia nec Pater, nec Filius qui neutram earum personarum differentiam sortitur. Sed si Spiritus sanctus non est genitus, ait aliquis, procul dubio est ingenitus. Quod non ita esse, cum Aristotelis sententia reclamatur locutio consueti, qua nos patimur etiam ab inimicis, levius non esse sapientes, quam insipientes, dici; et non esse justos potius quam injustos, cum palam omnibus causa humilitatis id ipsum profiteatur. Quis enim aegrotus, cum sciat se non esse sanum, patienter audiat se esse insanum? Sic fit ut quaedam absque privatione negata, vera sint, quae privatorie affirmata, vera esse non possint; quibus tamen privatoriis si hyperbatice [533C] superveniat negatio, restituit ea veritati aliquando. Nam dum dicitur de quolibet, Non est sanus, addubitat aliquis utrum insanus velit intelligi; id enim possibile est consequi, et idcirco, a dicente necessario subjungitur quia nec sanus est nec insanus. Similiter ergo dum dico Spiritum sanctum non esse genitum, quantum ad veritatem sufficit; sed ad ansam calumniae solvendam proficit, si nec genitum, nec ingenitum esse tractatus patefecerit: siquidem privatio exigit negationem; negatio vero privationem necessario nomine, quia non omne quod non videt caecum est, cum omne quod caecum est non videat; et non omne quod justum non est injustum est, cum omne quod injustum est, necessario constet quod justum non est.

[533D] 22. Denique cum talia plurima suppetant argumenta, satis sit ostendisse in numeris, quorum doctrinalis sententia multipliciter suggerit rationes physicas. Constat nimirum quia numero Deus impare [534A] gaudet; qui Trinitatis suae assertor existit, dum omnia in numero, mensura et pondere constituit. Et ideo Trinitatis quodam modo differentiam per trium imparium se, paribus intermissis, sequentium censeo naturam discutiendam; quorum primus sit quinarium, secundus septenarius, tertius novenarius, inter quos duo intermissi signant duplicem naturam unius Jesu Christi, quoniam ille VI ex primo impari duplicato perfectus existit: hic IX vero ex primo pari

quadruplicato diminutionem recipit sub ostensione cubicae quantitatis, ut perfectum Deum innuant paulo minus minoratum ab angelis sub forma servi. Cum itaque infra denarium, excepto septenario, omnes numeri aut gignant, aut gignantur, horum praescriptorum imparium primus [534B] gignit, sed non gignitur; secundus nec gignit, nec gignitur; tertius autem gignitur, sed non gignit: quorum singuli quibus conveniant personis nemo dubitat fidelis, maxime cum gentium philosophi propter supradictam causam septenarium Minervae attribuerint, et nos illi sapientiae, quam numerando constat, nunquam simplicem non esse.

23. Sed quia de his, ut mihi visum est, satis disserui in libellulo quem precibus fratrum coactus De numero, mensura et pondere, olim edidi super calculum Victorii, idcirco hic plura dicere supersedi, ne prolixitas charitativae epistolae fastidium ingereret lectoris ignaviae.

Unde quodam compendio evisceratis objectarum quaestionum intimis, quas vestra fraternitas perlegendendo [534C] discutiat, discutiendo perlegat, terminum his imponere decrevi, maxime quia disputando perveni ad eum qui est initium et finis. Valete.

Addit Mabillonius.

O Ramesiga cohors, amplis quae claudere stagnis,
Purior obryzo niteris esse Deo.
Vasta palus, piscosa nimis, sua dyndima pandit,
Ut nova sint eremi claustra reperta tibi.
Nam qua corviferae consurgit proditor hydrae,
Insula silvoso gurgite pulchra nitet.
Et qua splendentis se mergunt lora bootis,
Pons est inde suis pervius Angligenis.
Qua Cynosura poli fixum regit undique gyrum,
Anguillosa palus nescit habere modum.
[534D] Unde refert umbras vaga lux Phoebea sinistras
Terra patet, nullo continuata vado.
Huc me forte dedi ignotis ignotus alumnis,
Quos, Benedicte Pater, jure tuere paras.